ordinem primogenituræ, importet novam diſpoſitionem, vel declarationem.
6 *Dare & adimere eodem jure regulantur, & ſicut dari non poteſt hæreditas codicillis, ita neque adimi.*
7 *Declaratur, dicta concluſio, ut non ſemper paria ſint dare, & adimere.*

DISC. X.

MARIUS BONVISIUS, in ejus teſtamento hæredem inſtituit Pompeum filium, eique, vel ejus de-
1 ſcendentiæ maſculinæ quandocumque deficienti ſubſtituit filios maſculos Nicolai Orſucci generi. In codicillis verò poſtmodum conditis, coram Notario, & duobus teſtibus, diſpoſuit dictam ſubſtitutionem effectum ſortiri debere in ſolo natu majore; Cùm autem facto caſu ſubſtitutionis, Balthaſſar natu major poſſeſſionem bonorum hæreditariorum adeptus eſſet, atque Statutum Lucenſe diſponat, ut codicilli valeant coram Notario, & duobus teſtibus, preterquam ubi continerent fideicommiſſum univerſale, vel in quota; Hinc orta eſt quæſtio inter ipſum, & dictos Michaelem, ac Septimium fratres natu minores, an dicta codicillaris diſpoſitio ſubſtineretur, ſtante ejus imperfectione ex defectu ſolemnitatum requiſitarum de jure communi, atque deſuper conſultus; Reſpondi, ut ſequitur.

Agit de hoc Statuto Menoch. *conſ.* 1137. *in fine*, ſed potius incidenter, ac præſuppoſitivè, dum illius caſus diſpu-
2 tatio in aliis punctis conſiſtebat.

Pro codicillorum autem validitate urgere videtur deciſio Rotæ Lucen. edita de anno 1606. per quam conſimilis codicillaris diſpoſitionis validitas firmatur, ex duplici fundamento; Primò ſcilicet, quòd ubi tractatur de transferendo ſucceſſionem in teſtamento præordinatam de una perſona ad aliam, inter eas in priori diſpoſitione vocatas, & ſic intra idem genus, tunc, contineri non dicitur novum fideicommiſſum, ſed potiùs fideicommiſſi jam conſtituti declaratio, quæ ſolemnitatibus non indiget; Et ſecundò quod ubi ille, ad cujus favorem in hujuſmodi minus ſolemnibus codicillis diſpoſitum eſt, reperitur in poſſeſſione, tunc poteſt excipiendo ſe tueri, dum ex minùs perfecta ultima voluntate, oritur obligatio naturalis, quæ poſſidenti, exceptionem, ſeu defenſionem præbet.

3 De ſecundo fundamento, (cum ſenſu etiam veritatis) nullam rationem habendam eſſe puto, quoniam quicquid ſit reſpectu legatorum, quæ etiam ab inteſtato deberi poſſunt, atque legatario, qui reperiatur rem poſſidere abſque vitio, hujuſmodi retentio competat in vim naturalis obligationis ex plenè deductis per Magdalen. *de num. teſtium, par.* 3. *cap.* 3. Cujus etiam contrarium in foro magis receptum eſſe praxis docet, adeout opinio concedentium hujuſmodi retentionem, potius operativa remanere videatur quoad forum internum; Attamen id ceſſat, ubi agitur de hæreditate, vel ſucceſſione univerſali ad text. *in l. ſi poſt diviſionem, Cod. de jur. & fact. ignor.* Alex. Jaſon. *& cæteri in l. nemo poteſt, ff. de legatis* 1. cum concord. per eundem Magdalen. *d. cap.* 3. *nu.* 3. *cum ſeqq.* plenè Boſſ. *to.* 2. *Moral.* qui plures hinc inde colligit *tit.* 14. §. 1. *n.* 1. *& ſeq.*

Quare unica difficultas reſidet in primo fundamento, circa quod videtur, ut vera ſit diſtinctio circa theoricam in ab-
4 ſtracto, quod ſcilicet ubi agitur de nova ordinatione importante formalem diſpoſitionem conceſſivam, vel ademptivam, requirantur eædem ſolemnitates, quæ in teſtamento, vel alia nova ultima voluntate requiruntur, ſecus autem ubi agitur de declaratione prioris diſpoſitionis ambiguæ, cùm iſta nullas exigat ſolemnitates, ſed contentetur probatione naturali etiam imperfecta per teſtes ſingulares, vel per adminicula, ex deductis poſt antiquiores per Mantic. *de conjectur. lib.* 12. *tit.* 16. *num.* 10. Gratian. *diſcept.* 650. *nu.* 13. *cum ſeqq.* Hodier. *contr.* 11. *num.* 83. *cum ſeqq.* Magdalen. *de nu. teſtium, part.* 1. *cap.* 30. *n.* 11. *cum ſeq.* Rota in Romana dotis 27. Maji 1657. Cerro Romana annuæ præſtationis 4. Julii 1663. Bevilacqua impreſſ. poſt Zuff. *de legitim. proceſſ. dec.* 102. & ſæpius, quoniam theorica eſt indubitata, ſolaque difficultas eſt in applicatione, an ſcilicet verſaremur in una, vel altera parte diſtinctionis.

Applicando igitur ad rem, quando hæc ſubſtitutio haberet
5 tractum ſucceſſivum, utpotè continens perpetuum, ac ſucceſſivum fideicommiſſum in univerſa deſcendentia dict. Nicolai, quæ ejuſdem teſtatoris quoque dici poteſt, utpotè proveniens ab ejus filia, itaut prior diſpoſitio teſtamentaria concepta eſſet ad favorem univerſi generis, cum pluribus, & ſucceſſivis gradibus ſubſtitutionum; Tunc probabilius dicendum videretur ut verſaremur in caſu declarationis potiùs, quàm omninò novæ diſpoſitionis; Et quoniam favorabilius eſt ſucceſſionem reduci ad formam primogenituræ, ſeu majoratus, per quam familiarum ſplendor cùm bonorum unione melius conſervatur, cùm ob tantam diviſionem ad ad nihilum redigi ſoleant, atque non obtineatur finis ab ambitioſis teſtatoribus haberi ſolitus, ex iis quæ in propoſito erectionis primogenituræ habentur in Mantuana feudi *ſub tit. de feud. diſc.* 10. idcircò pro validitate actus probabilius reſpondendum eſt.

Sive ubi in priori diſpoſitione dictum eſſet ſimpliciter, quod bona relinquebantur in deſcendentia ſub fideicommiſſo, non facta iſtius ſpeciali expreſſione circa ordinem, quoniam cùm fideicommiſſi vocabulum verificetur etiam in primogenitura, quæ aliud non eſt niſi fideicommiſſum cum ordine delationis ad unam tantùm perſonam, ex deductis *ſub tit. de fideicommiſſ. diſc.* 7. Hinc proinde dicitur etiam declaratio, ut in ſpecie primogenituræ ordinatæ, quamvis promiſſum eſſet fieri donationem ſub fideicommiſſo, habetur in Romana primogenituræ de Cardellis *ſub eod. tit. de fideicomm. diſc.* 135. Utroque enim caſu, iis qui excluſi ſunt, ſupereſt ſpes ſuccedendi, ideoque non eſt omnimoda ademptio, ſed potius præpoſteratio, ut etiam advertitur *eod. tit. de fideicommiſſi, diſc.* 57.

Ubi verò ageretur de unica ſubſtitutione in primis vocatis terminanda, ad quam in teſtamento expreſsè omnes filii vocati eſſent, tunc reſtrictio ſucceſſionis ad ſolùm natu majorem, importaret formalem ademptionem per diſpoſi- 6
tionem omninò novam, & conſequenter intraret altera pars diſtinctionis; Ideoque cùm dare & adimere eodem jure regulentur, quia ſicuti non dari, ita neque adimi codicillis hæreditas poteſt, *l.* 2. *C. de codicill.* §. *codicillis, Inſtit. eodem*, hinc ſequitur, ut id quod diſponitur in caſu, quo codicilli contineant inductionem fideicommiſſi in tota, vel in quota, dicendum etiam veniat in caſu, quo iidem contineant ejuſdem fideicommiſſi ademptionem.

Verùm maturiùs reflectendo; Contrarium videtur probabilius, quoniam cùm habeatur regula generalis affirmativa, ut codicilli conditi coram Notario, & duobus teſtibus valeant, illaque unicam recipiat limitationem jam dictam, ubi agitur de affirmativa inductione fideicommiſſi, Idcircò talis limitatio, utpotè de ſui natura odioſa, non eſt extendenda de caſu ad caſum, dum habens pro ſe regulam dicitur habere intentionem fundatam, donec probetur limitatio in dubio non preſumenda, Mantic. *dec.* 251. *nu.* 4. Barboſ. *axiom.* 168. *& communiter.*

Potiſſimè in Statutis, in quibus non datur extenſio, etiam ſi concurreret identitas rationis ex pluries deductis *ſub tit. de ſucceſſ.* multò magis concurrente diverſitate, que in præ- 7
ſenti videtur notabilis; Licèt enim circa caſum hereditatis, & ſic indirectæ ſucceſſionis, datio, ac ademptio parificentur, ex eo quòd directa diſpoſitio in codicillis eſt incongrua; Attamen in reliquis notabiliter differunt, inducere, ac adimere, vel reſtringere fideicommiſſum, cum primo caſu agatur de inducendo, ſeu ampliando ſervitutem regulariter odioſam, in altero autem de eadem ſervitute tollenda, vel reſtringenda, ſeu inducendo faciliùs libertatem, quæ in jure favorabilis reputatur; Ac etiam quia non omninò incompatibile eſt, ut etiam ex interpretata, vel conjecturata voluntate diſponentis, numerus pluralis reſolvatur in ſingularem, & è contra, ex iis, quæ frequenter habentur præſertim *d. diſc.* 57. *de fideic.* Si ergo id etiam ex conjecturis deſumi poteſt, hinc proinde rectè adaptabilis videtur terminus declarationis, quo teſtator codicillando in preſenti uſus eſt; Et conſequenter nimiùm dubitari poſſe videtur, quòd verſemur potiùs in caſu regulæ, quàm in altero limitationis Statutariæ; Et ita audivi fuiſſe judicatum, pro codicillorum ſcilicet validitate, ac ſubſiſtentia, eaque habita pro certa, diſputatio fuit ſuper qualitate majoratus, an eſſet regulandus ab ætate, ac per naturam, vel à prærogativa lineę juxta quæſtiones diſputatas *ſub tit. de fideicom. diſc.* 1. *cum plur. ſeq.* ut patet ex ſcriptis hinc inde apud Manticam longè poſt has adnotationes impreſs. *conſult.* 92. *cum ſeqq.*

SUMMARIUM.

1 *De Statuto Lucano in materia legitimæ.*
2 *Hæreditas quando dari, vel adimi valeat Codicillis.*

ADNOTAT. AD DISC. X.

DE ſtatuto Lucano in materia legitimæ habetur in ſua ſede *ſub tit. de Legit. diſc.* 10. *& ii. eod. tit. diſc.* 41.

De materia autem præſentis diſcurſus, quando hæreditas dari, vel adimi valeat codicillis, habetur infrà *diſc.* 20. & 21. Et de diſtinctione contenta *num.* 4. inter diſpoſitionem novam, vel declarativam ad effectum probationis habetur alibi *hoc eod. tit. diſc.* 46. *& ſeq.*

ROMANA TESTAMENTI

Diſcurſus in congreſſu pro veritate.

De teſtamento condito in Regno Sardiniç cum tribus teſtibus tantùm, an ſubſtineatur.
Et incidenter de teſtamento calore iracundiæ, an, & quando valeat ad materiam text. in l. *ſi filiam* Cod. *de inoff. teſtam.*

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *In Urbe non attenditur forma cap.* cum eſſes, *quia ex Statuto ſervandum eſt Jus civile.*
3 *Poſthumus, ſecto matris ventre natus, habetur pro non nato.*
4 *De teſtamento calore iracundiæ invalido.*
5 *De legibus Catalonia ſervatis etiam in Regno Sardiniæ ſuper teſtamento coram duobus, vel tribus teſtibus.*
6 *Teſtamentum conditum juxta mores loci valet ubique etiam quoad bona extra territorium.*
7 *In diſpoſitionibus ad pias cauſas excepto defectu imperfectionis voluntatis, omnes aliæ juris poſitivi ſolemnitates, formulæ, vel ſubtilitates ceſſant.*
8 *Nullitas reſultans ex calore iracundiæ percutit etiam teſtamenta ad pias cauſas.*
9 *Quando dicatur teſtamentum conditum eſſe calore iracundiæ ad effectum invaliditatis.*
10 *Quomodo conſilia & deciſiones attendi debeant.*
11 *De caſu duplicatæ legitimæ remiſſivè.*

DISC. XI.

1 VIduata Principiſſa Coſtantia Pamphilia Innocentii Decimi ex fratre neptis, per obitum Principis Nicolai Ludoviſii in Regno Sardiniæ, ubi V. Regis & Capitanei Generalis munus exercebat, aliquam fortè habens indignationem, cum Principe Joanne Baptiſta unico filio maſculo, teſtamentum condidit coram Notario, & tribus teſtibus, in ſtatu ſalutis, in quo relicta dicto filio quadam tabula dicta, quatenus id ei liceret, ſin minus eo inſtituto in legitima, ſeu in eo, ad quod ex juris neceſſitate tantùm teneretur, poſthumum ex ejus ventre prægnante naſciturum, quatenus eſſet maſculus, ſi verò fœmina, eam, treſque alias, quas jam procreatas habebat, hæredes inſtituit, eas etiam maſculo naſcituro in pupillari ætate morienti ſubſtituendo; Dictiſque filiabus (nulla facta mentione filiorum ex eis procreandorum) ſubſtituit Principem Camillum Pamphilium germanum fratrem, & huic, Collegium Romanum Societatis Jeſu, ſeu Eccleſiam Sancti Ignatii in eodem Collegio per Cardinalem Ludoviſium dicti Principis viri germanum fratrem conſtructam; cum quibuſdam oneribus ad rem non facientibus; Quare ſequuta poſt aliquos menſes dictæ Principiſſæ morte ex abortu habito de maſculo, nomine omnium filiorum, habitus fuit plurium Advocatorum, ac ſapientum congreſſus, prævïis etiam aliquibus conſultationibus primariorum virorum dicti Regni Sardiniæ, ſuper dicti teſtamenti validitate, vel invaliditate, atque in hoc congreſſu plura invaliditatis capita propoſita, & diſcuſſa fuerunt.

2 Primò enim ab aliquibus profeſſoribus Urbis credebatur ut teſtamentum eſſet invalidum ob defectum numeri teſtium requiſiti per diſpoſitionem Juris Civilis, quòd ex Statuto Urbis diſponitur per ejus cives, & incolas ſervari debere, adeout receptum ſit, ut teſtandi forma inducta per text. *in cap. cum eſſes, de teſtamentis*, ſtante dicta ſtatutaria diſpoſitione, inter cives & incolas non ſufficiat, Fenzon. *ad Statut.* 42. *num.* 8. Gratian. *diſceptat.* 233. *numer.* 52. *deciſ.* 396. *part.* 4. *diverſ.* Rub. *de teſtam. cap.* 34. & pro abſoluto fuit habitum in Firmana codicillorum coram Ghiſlerio, *dec.* 312. *p.* 9. *recent.* & in eadem coram Otthobon. inter ſuas *dec.* 145. dum in eis totum fundamentum conſtituitur in eo, quòd teſtator eſſet forenſis; Et comprobat etiam Conſtitutio Alexand. VII. ſuper teſtamentis condendis tempore peſtis, quoniam fatuitas fuiſſet indulgere, ut ex dicta cauſa accidentali poſſent fieri teſtamenta, cum quinque teſtibus, ſi abſque tali impedimento ſufficerent quatuor ad formam *d. cap. cum eſſes.*

Alterum invaliditatis caput, tam à dictis Conſultoribus exteris, quàm ab aliquibus ex diſcurrentibus, reſultare credebatur ex caducatione ob deficientiam ſcripti hæredis, dum poſthumus, qui jam erat maſculus, natus dici non poterat, utpotè poſt mortem matris ſecto ventre detectus 3
ſemivivus, & quaſi in inſtanti mortuus, qui proinde natus dici non poterat, *l. quod certatum, Cod. de ſuis & legitimis, & l.* 129. *ff. de verb. ſignif.* Gulielm. de Benedictis *de teſtament. par.* 2. *verbo Soboles, quam geſtat in utero, n.* 16. *& cæteri communiter.*

Et quamvis dicto inſtituto ſubſtitutæ eſſent filiæ feminæ; Attamen dicti præſertim Conſulentes exteri nimiùm effuſo ſermone, atque agitantes penè omnes Repetentium ſcholaſticas quæſtiones, voluminoſum ferè tractatum confecerunt ſuper puncto, an mater ſubſtitutionem pupillarem facere potuiſſet, vel compendioſam, quæ vulgarem ad id ſufficientem contineret, & an clauſula codicillaris utpotè appoſita in teſtamento mulieris, quam non conſtabat de illius viribus, & efficacia certioratam eſſe, ſuam faceret operationem, necne.

Tertium invaliditatis caput proponebam ego in ſola ra- 4
tione diſcurſiva, quod reſultat ex text. *in l. ſi filiam, Cod. de inoff. teſtam. ſive ex gloſ. ibidem, verbo calorem, ubi DD.* de quibus plenè apud Menoch. *conſ.* 544. *&* 1139. *per tot. ac etiam conſ.* 956. *num.* 40. *cum ſeq.* Ruger. *conſil.* 17. *num.* 115. *cum ſeqq.* Altograd. *conſ.* 55. *numer.* 1. *& per tot. libr.* 1. quòd ſcilicet teſtamentum parentis, qui calore iracundiæ filium, vel conjunctum contra rationis & communis uſus ordinem ab hæreditate excludat, tanquam ex quodammodo deficiente voluntate, ſeu mentis defectu, viribus carere debeat.

Quamvis autem plura, nimiùm ingenioſè ſuper omnibus deducta fuerint, eaque dicerem quòd magna commendatione digna eſſent pro ſcholis, vel Academiis ad ingenii oſtentationem; Attamen videbatur, quòd de illis poſſet dubitari; Singula ſiquidem examinando; Quatenus pertinet ad primum invaliditatis caput deductum, ex deficiente numero ſeptem teſtium, priuſquam de infraſcriptis peculiaribus legibus notitiam haberem, ac etiam ante dictum congreſſum, abſolutas præſuppoſui leges municipales hanc teſtandi formam concedentes; Tum quia comperieram, quòd præcedens teſtamentum conditum à dicto Principe viro, cum aſſiſtentia Conſiliariorum, ac primariorum virorum illius Regni, in eadem forma conditum erat; Tum etiam quia in dictis elaboratiſſimis conſultationibus ejuſdem Regni ſapientum, quoad validitatem ratione ſolemnitatum, nulla fuit habita difficultas, & tamen inſpecta juris communis diſpoſitione, etiam ruſticis ac idiotis id cognitum eſt.

Occaſione autem hujus congreſſus, comperii quòd in Regno prædicto, ex Regiis Indultis, viveretur cum legi- 5
bus Principatus Cataloniæ, & Civitatis Barchinonæ, inter quas habetur, ut competat jus teſtandi etiam cum duobus, vel tribus teſtibus, & de qua ſpecie, (quod ſacramentale ibi dicitur) plenè cæteris allegatis agit Fontanell. *deciſ.* 576. *& ſeqq.*

Sufficit autem conficere teſtamentum juxta morem regionis, in qua illud ordinatur, etiam quoad bona extra territorium, idque non in ratione proteſtativa, ſed ob voluntatem teſtantis ex deductis per Merlin. *deciſ.* 447. *alias* 335. *part.* 5. *recent.* & apud Marin. *reſult.* 141. *n.* 16. *lib.* 1. Vameſ. *conſil.* 11. *per tot. par.* 1. *& conſ.* 387. *n.* 3. *lib.* 2. Giovagn. *conſil.* 47. *nu.* 2. *lib.* 1. apud quos cæteri.

Ultrà quòd, inſpecto etiam jure communi, adhuc eſſet debile fundamentum, cùm ageretur de teſtamento inter liberos, ad text. *in l. hac conſultiſſimas*, §. *ex imperfecto, Cod.* 6
de teſtament. Ac etiam ſtante ſubſtitutione piæ cauſæ, pro qua omnes ſolemnitates juris civilis remiſſæ ſunt; Effectus enim hujuſmodi inſpectionis eò principaliter tendebat, ut ultima ſubſtitutio Eccleſiæ, ſeu Collegii, evitari poſſet, cùm de reliquo, inter fratrem, ac Sorores, facilis fuiſſet concordiæ modus; Hic autem finis non habeatur, ſtante dicto privilegio piæ cauſæ, unde propterea inanes dicebam omnes quæſtiones deſuper actas, etiam ſola juris communis diſpoſitione attenta.

Eademque ratione prorſus inutiles credidi labores aſſum-
ptos ſuper diſputationibus habitis per DD. an ſub pupillari 7
ordinata per matrem, adeſſe dicatur vulgaris apta ad ſubſtinendum teſtamentum per primi hæredis prædeceſſum, ſeu non exiſtentiam; Cùm enim hujuſmodi nullitatis indagatio percuteret dictum effectum excludendi piam cauſam ſubſtitutam, iſte effectus non habebatur, ex jam dicta ratio-

tione, quod Eccleſia, & pia cauſa non ſubjacent juris poſitivi ſubtilitatibus, ac nullitatibus ex ejus diſpoſitione reſultantibus, ſed ſpectatur ſola veritas naturalis, ſuper perfectione voluntatis, cujus imperfectio tantùm attenditur *ad notation. in cap. relatum, de teſtam.* & pluries *infra diſc.* 13. *& ſeqq.* In hoc etenim verè nimiùm commendabilis eſt Curiæ Romanæ ſtylus, cui omnes alii fortè locum cedere debent, quoniam in cauſarum diſputationibus, (reſecatis ſuperfluis quæſtionibus,) ſtrictè agitur de aliis punctis præciſis, qui percutiant effectum, ad quem diſputatio habeatur.

Tertium invaliditatis caput à me excitatum, quod ſcilicet factum eſſet calore iracundiæ, fuiſſet conſiderabile
8 etiam adverſùs piam cauſam, quando facti ſubſiſtentiam haberet, itaut obſtaculum non faceret defectus applicationis, dum percutit defectum voluntatis, quem piæ cauſæ favor non ſupplet, juxta veriorem, ac magis receptam opinionem ex pluries *infra dicto diſc.* 13. *& ſeqq.* Et in ſpecie de invaliditate teſtamenti conditi calore iracundiȩ quamvis ac pias cauſas, Ruger. *dict. conſ.* 17. Altograd. *dicto conſ.* 55. *lib.* 1. apud quos cȩteri, ex dicta irrefragabili ratione deficientis voluntatis, unde intrare dicitur defectus juris naturæ, cui privilegia per jus poſitivum piæ cauſæ conceſſa, derogare non poſſunt.

Difficultas verò erat circa applicationem, ex cujus defectu, Egomet qui motivi promotor eram, de illius ſubſi-
9 ſtentia dubitabam; Ad hunc enim effectum, ex concordi ſenſu ſcribentium in eadem *l. ſi filium*, talis iracundiæ calor requiritur, ut ſi formalem furorem, ſeu amentiam non inducat, magnam tamen cauſet mentis alterationem, adeout adeſſe dicatur defectus voluntatis, quod in prȩſenti non juſtificabatur; Siquidem aliud eſt calor magnæ iracundiæ; Aliud verò indignatio, ſeu averſio ab eo amore, quem natura in parentibus erga liberos, vel è converſo, regulariter inſitum, accidentia ſolent alterare, & hic propriè videbatur caſus.

Quamvis enim allegati Authores, præſertim Menoch. *dicto conſ.* 544. *& conſ.* 1139. probare conentur, ut ex hujuſmodi malè ordinata, & inveriſimili diſponendi forma, arguatur mentis infirmitas, ſeu magna alteratio; Attamen liquet quòd more Conſulentium pleraque dicuntur ad propriam eruditionem oſtendendam, vel ad cauſæ ſervitium, dum præſertim utrobique proceditur cum determinatione Senatus Romani relatâ per Valer. Max. de qua in foro nulla ratio habenda eſt, niſi pro uno ex adminiculis bonȩ, vel malæ valetudinis, quando alia concurrant, adeout verſemur in ambiguo, ex iis, quæ infra habentur *in Avenion. fideicomm. diſc.* 39. & in aliis.

Ac etiam quia in caſibus poſitis per Menoch. multæ concurrebant circumſtantiæ, quæ non omninò improbabilia reddunt ea Reſponſa, ad rem non applicabiles; Siquidem *in conſ.* 544. agebatur de patre habente tres filias, erga quas in effectu æqualem habebat affectionem; attamen primam excluſit ob indignationem cum ejus viro, cujus utilitate ceſſante, eamdem, ejuſque filios vocavit, unde videtur ſpecies exhæredationis irrationabilis in odium tertii; Et in caſu *conſ.* 1139. agitur ex excluſione filii infantis, qui proprii demeriti, ac paſſivȩ indignationis incapax erat, unde ſtante inſtitutione remotiorum collateralium, de quorum malis artibus etiam vehementia concurrebant adminicula, in ſeducendo teſtatricem infirmam, morbi acerbitate, ac mortis turbatione vexatam, ita cadere poterant, juxta ea quæ habentur *infra diſc.* 33. Verùm quidquid ſit de veritate in dictis caſibus, attamen ceſſabat in omnibus applicatio ad præſentem, in quo agebatur de teſtamento condito in ſtatu valetudinis; in qua per menſes continuatum fuit; ideoque indignatio perſeverabat ſanguine refrigerato, cauſa verò indignationis proveniebat, non ex facto tertii, ſed ipſiuſmet filii excluſi, atque diſpoſitio non erat ad favorem extraneorum, vel remotiorum, ſed filii poſthumi, qui viri defuncti non aſſumpturus erat, & in ejus defectum filiarum, ac poſt eas favore piæ cauſæ.

Iſta etenim parùm conſueta diſponendi forma, quæ deviat ab ordine naturæ, ſemper ab aliqua indignatione, vel averſione provenit (cùm ſine his non detur caſus ita diſponendi;) Ideoque ſi exinde inferri poſſet ad mentis infirmitatem, vel alterationem, quæ ſufficeret ad invalidandam diſpoſitionem, hinc ſequeretur quod nunquam verificabilis eſſet illa facultas, quam quiſque habere dicitur diſponendi pro libito de bonis ſuis etiam irrationabiliter, ac projiciendo in mare, dummodò filiis relinquat legitimam, ultra quam ejus obligatio non extenditur, cùm abſque dubio non detur caſus, in quo quis habens proprios liberos, illam exerceat, niſi accedat aliqua indignatio, vel cauſa accidentalis alterativa inſiti amoris naturalis.

Hinc proinde in congreſſu plurium Advocatorum habito in una Neapolitana ad inſtantiam Principis Hyeraticis de familia Grimalda, ſuper teſtamento condito per Principiſſam ejus matrem diſponentem ad pias cauſas de univerſo beſſe hæreditario, relicta filio ſola legitima; Quamvis idem Altograd. ſenior, tranſcribendo eadem ab ipſo deducta *d. conſ.* 53. *lib.* 1. ex Menoch. *loc. citat.* cum fuſiori ejus conſueto, docto quidem, ac elaborato ſtylo, (aliquibus tamen ſuperfluitatibus laborante,) pro teſtamenti invaliditate conſuluiſſet, ex eo præſertim, quod in ipſo filio, nulla penitus concurreret indignationis, vel demerentiæ cauſa, ſed hæc tota eſſet cum viro, ac patre reſpectivè, cum quo magnæ diſcordiæ, atque acerrimȩ lites ſuper thori ſeparatione præceſſerant; Omnes tamen in concordi ſenſu fuimus, ut in hoc motivo nullum conſtitui poſſet ſolidum fundamentum, dum conſtabat quod teſtamentum, pacato animo, à maturo conſilio conditum erat.

Non ita eſt caſus, de quo agit idem Altograd. *conſ.* 55. in quo aliquam probabilitatem ſuum reſponſum habet, dum agebatur de teſtamento condito calore injuſtæ iracundiæ, per imprudentem, ac malè morigeratum filium, ægrè ferentem juſtas ſuorum errorum increpationes matris, & ſororis, cum illarum recurſibus etiam ad Principem; Et fortius quia ſubſequebatur reconciliatio, cum verbis probantibus pœnitentiam dicti prioris teſtamenti, cum alterius ordinatione coram quatuor, vel quinque teſtibus ex Statuto ad novam diſpoſitionem ſufficientibus.

Ideoque conſilia, & Deciſiones, attendi debent in caſi- 10
bus, in quibus loquuntur, ac ſpectatis illorum circumſtantiis, combinandis cum illis, quæ concurrunt in caſu ad quem prætenditur eas applicare.

Et propterea mea ſententia fuit, cui cæteri adhæſerunt; ut de his poſſet dubitari reſervando, ut videretur de moti-
vo à me excitato, nempè obtinendi (ſi fieri poſſet) duplica- 11
tam legitimam, Unam ſcilicet integri trientis debitam ipſi Principi, non extantibus fœminis ex Statuto Urbis, excluſis; Et alteram ex diſpoſitione ejuſdem teſtatricis, expreſsè dictis filiabus legitimam relinquentis, ex iis quæ habentur in ſua materia *ſub tit. de detractionibus, & Legitima, diſc.* 4. atque iſtud erat pinguius remedium, dum ſublato etiam de medio iſto teſtamento, remanebat alterum in Urbe conditum, quod plura etiam gravamina continebat, adeout magis expediret iſtud ultimum ſubſtineri, quando dicta duplex legitima obtineri poſſet; Nihil tamen concluſum fuit, atque huc uſque defuit occaſio maturum judicium deſuper efformandi.

ADNOT. AD DISC. XI.

De forma teſtandi juxta *cap. cum eſſes*, de quo *n.* 2. habetur actum infra *diſc.* 25. Et de altera concluſione, de qua *n.* 3. an ſcilicet Poſthumus ſecto ventre matris natus, habeatur pro vitali, habetur latius deductum *ſub titul. de ſucceſſ. diſc.* 46.

TAURINEN. TESTAMENTI PRO LUCIA, CUM HOSPITALI S. JOANNIS TAURINI.

Reſponſum ad cauſam, cum ſenſu veritatis.

De teſtamento condito ad formam Decreti Ducalis, vel Conſtitutionis Sabaudiæ, quando dicatur validum, ac perfectum.

Diſpoſita in teſtamento imperfecto ratione ſolemnitatum, ſed perfecto ratione voluntatis, condito ad piam cauſam, atq; iſtius favore valido, an ſubſtineatur in totum etiam quoad prophana.

Et de poteſtate Principis diſpenſandi ſolemnitatibus in teſtamento conficiendo, vel revalidandi teſtamentum jam factum, etiam re non integra, & poſt jus quæſitum venientibus ab inteſtato.

SUMMARIUM.

1 *De Conſtitutione Sabaudiæ ſuper forma teſtandi.*
2 *Facti ſeries.*
3 *An ſolemnitas dicta Conſtitutionis impleri poſſit per procuratorem.*
4 *An teſtamentum ſubſtinendum ſine ſolemnitatibus favore piæ cauſæ ſubſtineatur quoad diſpoſitiones prophanas.*
5 *De rationibus ſuadentibus affirmativam.*
6 *De teſtamento apud acta Judicii.*
7 *Quomodo præſentetur inſtrumentum per mulieres, aut alios impeditos, ut ſervetur Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ.*
8 *Princeps poteſt diſpenſare ſolemnitati teſtamentorum.*
9 *Quod Dux Sabaudiæ habeat jura Principis.*
10 *An Princeps poſſit revalidare teſtamentum invalidum.*
11 *De explicatione ſolemnitatis per procuratorem teſtatoris.*
12 *De ſolemnitatibus requiſitis ad certum effectum, ut earum defectus non attendatur ſi adimpletur effectus.*
13 *De poteſtate Principis legitimandi baſtardum, ſeu inhabilitandum capacem, etiam poſt factum caſum ſucceſſionis, & jus quæſitum venientibus ab inteſtato.*
14 *Favor cauſæ piæ ſupplet defectus ſolemnitatis, ſed non illum imperfectæ voluntatis.*
15 *Quando dicatur voluntas perfecta, vel potius præparatio.*
16 *Quod teſtamentum conditum coram uno deputato habeatur, ac ſi confectum eſſet coram Senatu.*

DISC. XII.

1 Ad tollendas eas controverſias, quæ ſuper teſtamentis volentium ita teſtari, ut eorum voluntas non niſi poſt mortem pandatur, nimium frequentes in foro habentur, Vel ſuper ſchedulæ teſtamentariæ ſuppoſitione, juxta notabilem caſum relatum per Burgos de Pax *ad l. tauri, n.* 1166. *fol.* 331. Vel ſuper ejuſdem ſchedulæ identitate, ac aliis, de quibus poſt antiquiores ab eis relatos plenè habetur apud Cyriac. *contr.* 444. Gratian. *diſcept.* 973. Rovit. *dec.* 95. Altograd. jun. *controv.* 50. *& alios, de quibus hoc titul. ſæpius.*

Prudentiſſimè per Conſtitutionem, ſeu decretum Ducale Sabaudiæ, ſtatutum eſt, ut abſque alia ſolemnitate, vel juſtificationem, validum cenſeri debeat illud teſtamentum, quod contentum ſit in ſchedula, quam clauſam, idem teſtator (cujus perſona recognita ſit,) perſonaliter præſentaverit coram Senatu in Aula, nuncupata conferentiarum, ibique profeſſus fuerit in illa ſuum teſtamentum, vel aliam ultimam voluntatem contineri, in cujus ſcripturæ dorſo adnotari debeat dictus actus cum ſubſcriptione primi, vel ſecundi Præſidentis, ac Secretarii, & appoſitione ſigilli ducalis, dictaque ſcriptura ad cuſtodiam reponi debeat in Archivio ejuſdem Senatus, ſub quadam præſcripta forma, quando opus erit extrahenda, ut latius in dicto decreto, Italico vulgari idiomate concepto, atque regiſtrato apud Solam *in Commentar. ad eamdem Decreta ſub tit. de ult. volunt. Taurini.*

Cupiens autem Stephanus Laurentius Hieronymus jux-
2 ta hanc formam teſtari, cùm ob impedimentum infirmitatis, eam cum perſonali interventu ſervare non poſſet, nolens vel putans non poſſe id explicare per procuratorem (ut fieri poſſe benè probat Sola *in Commentar. ad idem Decretum, litt. G. num.* 16. *in fine*;) Hinc, inhærendo ſtylo, quem ſupponitur jam invaluiſſe, à Duce Sabaudiæ ſuppliciter obtinuit, hujuſmodi teſtamenti conſignationem, ac reſpectivè receptionem, committi uni ex Senatoribus, ad effectum ut illud receptum reponeret in Archivio cuſtodiendum ad formam dicti decreti.

Prout cum interventu etiam Secretarii Senatus ſequutum
3 fuit, atque Senator deputatus (ſtylo etiam forſan inhærendo) pinguiùs ſibi commiſſas partes implevit, quoniam non ſolum curavit in Archivio reponi, ſed etiam eadem die, nomine ejuſdem teſtatoris, dictum teſtamentum præſentavit in Senatu congregato in Aula prædicta, ut à primo Prȩſidente ſubſcriberetur, atque ſigillo Ducali muniretur, eoque legitimè poſt mortem teſtatoris aperto, compertum eſt, in eo inſtitutos eſſe ſingulos pro tertia parte hæredes, Dominicam ſororem, Petrum Antonium privignum, ac Hoſpitale S. Joannis ejuſdem Civitatis, pluraque legata pia, & prophana ordinata, unum præſertim uſusfructus ad favorem Luciæ uxoris, cui etiam aliqua bona in proprietate relicta fuerunt.

Prætendentibus autem dicti Hoſpitalis adminiſtratoribus, teſtamenti imperfectionem quoad prophanas diſpoſitiones, ex eo quod dictus actus præſentationis in pleno Senatu, ſequutus eſſet re non integra, & poſt mortem teſtatoris, non obſtante reſcripto revalidatorio ad inſtantiam dictæ Luciæ per dictum Ducem conceſſo, proindeque ut ob ejuſdem imperfecti teſtamenti validitatem, ſolo favore cauſæ piæ, ex diſpoſitione textus *in cap. relatum, ſecundo de teſtamentis*, dicto Hoſpitali ex beneficio juris accreſcendi, vel non decreſcendi, integra hæreditas competeret, idcircò dum quæreretur quid juris, reſpondi ut ſequitur.

Quando etiam prædicta, juris, ac facti præſuppoſita, juxta Hoſpitalis prætenſionem ſubſiſterent, quod ſcilicet conſtaret quod actus prædictus re non integra ſequutus eſſet, quodque id importaret imperfectionem, ac defectum formȩ per dictum decretum Ducale præſcriptæ.

Adhuc prætenſio injuncta, maleque fundata eſſet, atque ſcandaloſa potiùs in loco pio reputanda; Licèt enim ex ori- 4
ginali dubitatione Jaſ. *in l. hac conſultiſſima*, §. *ex imperfecto, Cod. de teſtam.* cujus fundamenta abſque proprii judicii interpoſitione, refert Tiraquell. *de privil. piæ cauſæ, cap.* 8. & ſequuntur aliqui, præſertim Magdalen. *in tract. de num. teſtium, part.* 2. *cap.* 7. *n.* 29. *cum ſeq.* dubitari ſoleat, ut diſpoſita in teſtamento ſubſtinendo in ſolo favore piæ cauſæ, non ſubſtineatur quoad prophana.

In contrarium tamen, ſequendo Salicetum *in auth. caſſa, & irrita, Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* Abb. Butr. & alios, de quibus idem Tiraquell. *d. cap.* 80. *in princ.* videtur verior magiſque communis, ac recepta opinio, ut cȩteris allegatis plenè probant Gratian. *diſcept.* 606. *num.* 24. *& ſequent.* Riccius, & Thor. in addition. ad Tiraquell. *d. cap.* 80. Capyc. Latr. *conſ.* 93. *n.* 39. plenè, ac elaboratè diſcuſſo formiter articulo, (aliquantulum tamen prolixo evagatorio ſtylo) Modernus Rubeus *in obſerv. de teſtam. ad pias cauſas, cap.* 56. *num.* 211. *cum ſeq. & num.* 239. 245. 275. *&* 303. *cum ſequentibus*, ubi refert plures Canoniſtas, & Morales hanc opinionem firmantes *& cap.* 60. *ex num* 350. ubi latè reſpondet omnibus contrariis.

Hinc proinde iſta major authoritas, in numero, ac pondere, Civiliſtarum; & Canoniſtarum, ac Moralium in propoto ſufficere deberet, Verùm quia ſtylus, ac genium nimiùm abhorrent in ſola fide magiſtri jurare, ſoliſque authoritatibus inniti, quando ratio haberi poteſt, hinc magis ſtringentes eſſe pondero rationes, quæ ſparſim poſt alios relatæ habentur apud eundem Rubeum *locis citatis.*

Præſertim verò illa, ex qua piæ cauſæ privilegium reſultat, contentum *in dicto cap. relatum*, quod ſcilicet Eccleſia
non curat, neque attendit juris poſitivi ſolemnitates, ac 5
formulas, ſed inhærendo dicto Evangelico, *ut in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum*, attendit ſolùm veritatem naturalem; (Et ex qua ratione in plurium ſententia reſultat obligatio fori interni ex plenè congeſtis per eumdem Rub. *cap.* 58. *num.* 245. *& ſequ.*) Cùm etenim Eccleſia, ſeu pia cauſa ligetur magis obligatione ſervandi juſtitiam, & æquitatem, quàm litigentur ſæculares, quibus in earum cultu exemplar eſſe debet; Hinc proinde naturalibus, ac divinis principiis nimiùm repugnare videtur, ut eam voluntatem, quam ipſa Eccleſia, vel pia cauſa dicit pro ſe perfectam, ac validam, atque à falſitatis ſuſcipione alienam, debeat in aliorum excluſionem dicere ſuſpectam, ac invalidam, & imperfectam, quoniam eſſet allegare contradictoria, atque locupletari cum aliena jactura, ita aliena bona contra Domini voluntatem captando.

Neque videtur, quomodo authoritas Jaſon. qui eſt contrariæ ſententiæ anteſignanus ad favorem piæ cauſæ, attendi valeat, dum ipſe illam ſequitur ſententiam, quod minus ſolemniter diſpoſita ad cauſas prophanas, cedere debeant ad commodum venientium ab inteſtato, non autem piæ cauſæ, quȩ contenta veritate naturali, non debet ex ſola ſubtilitate juris poſitivi aſſequi, ultrà id, quod bonorum dominus ei relinquere voluit, ideoque, quidquid ſit de hujus aſſumpti veritate, ad id reflectendum eſt, ac dignoſcendum, quantum prȩdictæ Jaſon. authoritati deferendum ſit.

Et eis autem ceſſare videtur neceſſitas inſpiciendi, an ſatisfactum eſſet necne dicto decreto Ducali, ejuſque forma impleta, dum poſita etiam negativa, id ſuffragari poſſet venientibus ab inteſtato, non autem piæ cauſæ venienti ex eadem diſpoſitione tamquam naturaliter, ac verè perfecta, & valida, potiſſimè quia data hac imperfectione, illa influeret etiam in voluntatem, unde neque die diſpoſita valerent ut infra.

Verùm ubi etiam de hoc puncto agendum eſſet, adeout, præmiſſis ceſſantibus, ad iſtum ſolum punctum reduceretur cardo diſputationis; Adhuc omninò verius videtur, ut decreto prædicto ſatisfactum ſit, ideoque teſtamentum ſit validum, & perfectum, etiam in prophanis.

Licèt enim ſervata non ſit forma præciſa decreti, quæ 6

conſiſtit in eo, ut ipſemet teſtator, perſonaliter in Aula conſueta, ſchedulam coram Senatu exhibeat; Attamen ex Principis diſpenſatione ratione juſti impedimenti infirmitatis conceſſa, ille actus, qui in Aula, plenoque Senatu faciendus erat per teſtatorem non impeditum, factus eſt in Aula ipſius teſtatoris, coram Senotore delegato, cum Secretario, ita ex dicta diſpenſatione Principis repræſentantibus plenum Senatum, juxta ea, quæ in terminis teſtamenti apud acta Judicii, benè, & punctualiter deducuntur per Manzium *in tr. de teſtam. valido, vel invalido, tit. 1. n. 39.*

Quod etiam in ſimili habemus in eo judiciali actu, qui ad
7 formam Ritus M.C.V. Neapolis ſuper liquidatione inſtrumenti fieri debet per creditorem perſonaliter in pleno Tribunali comparentem, ac præſentantem, cum juramento, aliiſque præſcriptis formis, inſtrumentum, quoniam ſi agatur de muliere, ſeu alio, qui ex juſto impedimento accedere non poſſit ad Tribunal, tunc deputatur unus ex Judicibus ejuſdem M.C. cum ejuſdem Tribunalis Notario qui accedant ad Eccleſiam vicinam, vel Monaſterium (ſi creditrix ſit Monialis) vel ſimiliter, ibique tamquam repræſentantes totum Tribunal recipiant præſentationem inſtrumenti, habendam perinde, ac ſi coram toto Tribunali facta eſſet, ut per Franciſcum Antonium de Judice Robert. *in tract. de liquidat. inſtrum. concluſ. 4. numer. 7. & 8.* & alios practicantes, cum ſimilibus, atque hic eſt caſus præciſus.

Quodque Dux habuerit talem actum coram Senatore delegando pro perfecto, perinde, ac ſi in pleno Senatu factus eſſet; Evidenter liquet ex tenore reſcripti, dum poſt illius explicationem, ſolum injungitur actus repoſitionis in Archivio, qui non reſpicit ſolemnitatem, ſeu formam adhibendam in ipſo actu teſtandi, ſed ſolum cautelam cuſtodiæ, abſque dubio ex intervallo etiam adimplendam, ut conſtat ex decreti tenore, ibi: *S. A. R. manda al Senatore Liprando, che ſi transferiſca alla Caſa del Supplicante infermo, riceva il di lui teſtamento, e lo porti nell' Archivio del Senato per eſſer ivi cuſtodito.*

Igitur perfectio teſtamenti alium actum non deſiderabat, ſed per receptionem à dicto Senatore factam in domo infirmi teſtatoris, actus remanſit perfectus, atque id, quod idem Senator deinde in pleno Senatu geſſit, potiùs fuit ad quamdam majorem ſuperabundantiam.

De poteſtate autem Ducis concedendi talem diſpenſationem, dubitandum non eſt, quoniam ex eadem ratione,
8 ob quam ſolemne declarare potuit teſtamentum præſentandum à teſtatore in Senatu, potuit etiam tale declarare illud præſentandum coram uno Judice per eumdem Principem deputato; Teſtamentorum enim ſolemnitas eſt de jure poſitivo, cui Princeps diſpenſare poteſt, ex iis, quæ circa indulta conceſſa Cardinalibus, vel aliis, teſtandi cum ſola ſchedula, nullaque juris ſolemnitate ſervata, latè habentur apud Altograd. jun. *controv. 15. cum ſequen. & ſupra diſcurſ. 6.* Et de teſtamentis more Veneto ex illius Reipublicæ legibus, Merlin. *deciſ. 447. numer. 22.* aliàs *deciſ. 315. part. 5. recent.* Et generaliter Marta *de ſucceſſ. par. 4. quæſt. 3. art. 4.* & habet pro abſoluto Faber *in Codic. libr. 6. de teſtament. definit. 22.*

Quodque Dux Sabaudiæ habeat jura ſupremi Principis
9 in condendis, ac deſtruendis legibus, atque facere poſſit quantum facere poteſt Imperator in ſuo Imperio, ex Jaſon. Beccio, Laderch. Surdo, & aliis allegatis, plenè Bellon. jun. *conſ. 14. num. 11.* ac etiam ſæpiùs in ejus aureo *tract. de Jur. accreſcendi.*

Hiſque non adverſantur notata per Fabrum *in Cod. tit. 6.*
10 *de teſtam. defin. 22.* ſuper defectu poteſtatis Principis in revalidando teſtamentum invalidum poſt mortem teſtatoris, ac jus quæſitum venientibus ab inteſtato, vel aliis, quoniam in præſenti ſolùm agitur de poteſtate immutandi formam ſuper actu faciendo, ut ſcilicet id, quod ex ejuſdem Principis lege faciendum eſt in pleno Senatu, ſufficienter factum dicatur coram uno Senatore, utpotè ex ejus diſpenſatione totum Senatum repræſentante, & hìc eſt punctus inevitabilis non habens reſponſionem.

Erroneum verò eſt conſiderare dictum Senatorem tan-
11 quam infirmi teſtatoris procuratorem, deputatum ad præſentandum ſub nomine teſtamentum in Senatu, juxta cautelam traditam per Solam *in Comm. ad idem decret. n. 16.* Id enim videtur æquivocum manifeſtum, quoniam ſi in ſenſu Solæ, iſte actus tanquam voluntarius, per quemcumq; procuratorem cum regulis generalibus explicata poteſt, hinc proinde neceſſaria non erat gratioſa diſpenſativa delegatio ſupremi Principis de uno Senatore, dum quicumque privatus qui de jure non ſit prohibitus ad exercendum munus procuratoris ad id propria authoritate deputari poterat; Ideoque iſtud videtur fundamentum merè ideale, atque deputatio facta per teſtatorem de eodem Senatore ad preſentandum teſtamentum ſuo nomine in pleno Senatu eſt potiùs quædam formalitas, ac ſuperabundans cautela, non apta ad deſtruendum actum aliàs validum, ac perfectum juxta nimis vulgaria axiomata.

Item ubi lex præſcribens certam ſolemnitatem, ſeu formam, habet expreſſam cauſam, ob quam legislator illam inducere profeſſus eſt, tunc ſi ita conſtet de ſinceritate actus, ut tollatur ea ſuſpicio, ob quam illa major ſolemnitas inducta eſt, adhuc actus ſubſtinetur, ut in terminis ſolemnitatum requiſitarum in teſtamento cœci per text. *in l. hac conſultiſſima, C. qui teſtam. facer. poſſ.* firmant Menoch. *libr. 4.* 12
præſumpt. 6. num. 2. Honded. *conſ. 58. num. 18. libr. 2.* Michal. *in tract. de cœco, muto, & ſurdo, cap. 6. num. 28.* Burgos de Pax *ad l. 3. Tauri, num. 1298. & infra diſc. 33.* Et in terminis interventus viri, vel conjunctorum in teſtamento mulieris per Statutum deſiderari, Rota *deciſ. 9. n. fin. & deciſ. 193. nu. penult. & fin. part. 9. recent.* cum ſimilibus.

Ideoque cùm in præſenti teſtamento, tam ex rationabilitate bonaque ordinatione diſpoſitionis, quàm ex interventu probati Senatoris, & Secretarii ordinari Senatus; ac etiam ex ferè inſtantanea exhibitione in pleno Senatu eadem die, conſtet de ſinceritate actus, prorſus vanum eſt, ex quodam ſophiſtico, ſeu metaphyſico defectu, hujus teſtamenti invaliditatem prætendere.

Unde propterea revalidatio facta per Ducem, capienda non venit tanquam mera, & nova gratia revalidatoria actus aliàs certitudinaliter nulli, ac imperfecti, quo caſu intrare poſſent difficultates ex parte Hoſpitali excitatæ, ſed potiùs tanquam canonizatoria veritatis, ſeu declaratio, qualem voluntatem ipſe habuerit in conceſſione gratiæ, quam infirmo teſtatori conceſſit, & ſic in comprobationem præmiſſorum, quæ etiam ſine tali revalidatione de jure ſubſiſtunt.

Præterquam quod, ubi defectus non eſt juris naturæ, quia nempè agitur de ſupplendo imperfectionem voluntatis, ſed eſt ſolùm juris poſitivi, & pro ſupplendo defectum ſolemnitatum, non videtur quid impediat ſupremi Principis poteſtatem, qui decernere valeat, ut ſola probatio naturalis ad morientis voluntatem exequendam, ſufficere debeat, quoniam ita non tollit de alieno, & de eo quod quis ex ſua providentia quæſivit, ſed ſolùm de ſuo, tollendo ſcilicet illud beneficium, quod ex ejus legis diſpoſitione provenit, 13
juxta communem diſtinctionem firmatam per DD. ad materiam tex. *in l. aſſiduis, Cod. qui potior. in pignor. habeantur*, ex iis, quæ in materia concedendi legitimationem baſtardo aliàs incapaci ſucceſſionis, poſtquam quæſitum eſt jus legitimis ſucceſſoribus, vel habilitationis clerici in ſucceſſione feudorum, cum ſimilibus, ſatis benè pluribus allegatis, ibidem videndis probant Apont. *conſ. 162.* Marta *in ſumma ſucceſſ. part. 4. q. 3. art. 4. & q. 4. art. 4. in appendice*, de Marin. *reſol. 46. l. 2. n. 8. cum ſeq.* & alii, de quibus habetur *ſub tit. de regal. diſc. 148.* quoniam prohibenda non eſt Principi poteſtas auferendi illud jus, quod tertio, non ex propria induſtria, & conventione, ſed ex ejuſdem Principis ejuſque legis poſitivę beneficio, delatum eſt, præſertim ubi æquitas hujuſmodi diſpenſationi non reſiſtit, ſed potius aſſiſtit, *ut dict. diſc. 147. de Regal.*

Cæterùm, ubi altius, atque cum illis metaphyſicis ſubtilitatibus, cum quibus ex parte Hoſpitalis hoc teſtamentum impugnari prætenditur, materia reaſſumenda eſſet; Si ſubſiſteret dictum aſſumptum, quod ſcilicet actus geſtus per teſtatorem coram Senatore, importaret ſolum mandatum eidem Senatori traditum ad præſentandum ejus nomine in Senatu ſchedulam teſtamentariam, juxta quam erat ejus teſtandi voluntas.

Non improbabiliter dici poſſet, ut ob ſuperventam interim mortem mandantis, antequam mandatum à mandatario adimpleatur, teſtamentum remaneret imperfectum, imperfectione voluntatis, ob quam indubitatum eſt, ut neq; valeant diſpoſita ad piam cauſam, cujus favor ſupplet quidem imperfectionem ſolemnitatum, nullatenus autem illum voluntatis, ex ea clara ratione, quod hìc dicitur defectus juris naturæ, cui Papa, vel alter Princeps diſpenſare non poteſt; Unde propterea receptiſſimum eſt, diſpoſitionem text. *in d. c. relatum* non ſuffragari quoad defectum, ſeu imperfectionē
voluntatis Oldrad. *conſ. 119.* Decius *in cap. 1. de fid. inſtrum. n.* 14
42. & conſ. 159. n. 13. Covar. *in c. relatum de teſtam. nu. 9.* ubi quod ab hac opinione recedendum non eſt, Clar. § *teſtamentum*

tum quæſt. 7. Vivius *comm. opin. 888.* (ubi ex profeſſo confutat Abb. & Tiraqu. ac alios contrarium ſentientes,) Surd. *dec. 281. n. 15.* latè Magdalen. *de n. teſtium par. 2. c. 5. n. 1. cum ſeq.* Rub. *de teſtam. ad pias cauſas, c. 5. n. 5. cum ſeq. apud quos cæteri*: Atque hanc ſemper tenuit Rota præſertim *dec. 566. n. 3. p. 2. rec. dec. 108. nu. 4. part. 7.* In Romana legati locorum montium 7. Junii 1662. coram Priolo, de qua *infra diſc. ſeq.* Ideoque non videtur, quàm benè conſulti ſint dicti adminiſtratores, dando aditum venientibus ab inteſtato, impugnandi etiam diſpoſita ad ejuſdem Hoſpitalis favorem.

Ultima enim voluntas tunc dicitur perfecta, quando teſtator devenit ad actum teſtandi, qui eo inſtanti, ſeu momento perficitur, abſque quod perfectionem expectet ab
15 altero futuro actu, in quem collatus ſit, itaut dicatur voluntas concluſiva, quę non ſit in via, ſed in termino, ac aliàs quicumque actus quamvis certam teſtantis voluntatem preſeferentes, quoties in alium futurum actum collati ſunt, dicuntur importare præparationem futuræ voluntatis adhuc ambulantis, ac non redactæ ad terminum, quo caſu piæ cauſę privilegium nil operatur, juxta dictum ſolemne *conſil. Oldrad.* magis communiter receptum, cujus caſus eſt, quod teſtator coram duobus teſtibus ad id vocatis, ipſo dictante, ſcribere fecit à quodam clerico ſuum teſtamentum, in quo Chriſti pauperes inſtituebat, committendo deinde uni dictorum teſtium, ut vocaret Notarium, per quem coram teſtibus dicta ejus voluntas in formam publicam redigeretur, cùmque id, ob ſuperventam teſtatoris mortem, ſequutum non eſſet, deciditur eſſe voluntatem imperfectam, neque attendendam favore cauſæ piæ, & tamen de illa determinata, & certa conſtabat per tres teſtes; Ex dicta ratione, quod dum teſtator actum teſtandi contulit in dictum alium actum explicandum à Notario, interim dicitur eſſe in terminis velleitatis, ſeu præparationis; Idemque in caſu ſimili firmant Dec. *d. conſ. 159.* Cephal. *conſ. 99.* Rota in dicta Romana legati locorum montium 7. Junii 1662. coram Priolo *infra d. diſc. ſequ.* quoniam voluntas dicitur reduci ad formam concluſivam, ſeu actum teſtandi in illo actu, ſeu momento; in quo teſtamentum perficitur.

Et hic eſſet caſus, quando admittendum eſſet dictum aſſumptum agentium pro Hoſpitali; Si enim teſtator mediante perſona Senatoris tanquam procuratoris ejus perſonam repræſentantis, voluit teſtari coram pleno Senatu in Aula Conferentiarum, adeout, tunc voluntas deduci dicatur ad perfectionem, ac actum teſtandi, quando dictus actus explicatur, hinc juridicè dici poſſet, ut actus præcedens ſtetiſſet in terminis ſimplicis præparationis futuri actus, ideoque voluntas non diceretur concluſiva, & redacta ad actum teſtan-
16 di, juxta ſuperiùs enunciata exempla cum ſimilibus; Et conſequenter teſtamentum remaneret imperfectum imperfectione voluntatis; Cujus tamen contrarium verius eſt, ex jam dicta ratione, quod verè teſtamentum, tam quoad voluntatem, quàm quoad ſolemnitatem completum eſt, atque perfectionem recipit in ipſius teſtatoris aula ſubrogata loco aulæ Conferentiarum, & coram Senatore deputato ſubrogato loco totius Senatus, illumque repræſentante.

Ideoque intrat clarum dilemma inevitabile; Aut actus in Senatu explicandus continet ſubſtantiam, ac perfectionem voluntatis; Aut continet quamdam majorem ſolemnitatem; Primò caſu actus remeneret invalidus etiam quoad piam cauſam; Secundo autem, indubitata eſt poteſtas Principis, circa quam conferunt quæ habentur *ſub tit. de fideic. diſc. 141.* & pluries *ſub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum*, quod ſcilicet teſtandi facultas tota provenit à jure poſitivo; Incertum autem eſt quid ſequutum ſit in cauſa extrà Curiam.

ADNOT. AD DISC. XII. & ſeqq.

Agitur in his diſcurſibus de quæſtione, an & quando diſpoſitio dicatur imperfecta ratione ſolemnitatis, vel potius voluntatis ad effectum, ut intrent privilegia piæ cauſæ, de quo poſtmodum occaſio non adfuit diſputandi.

Circa autem ea, quæ concernunt favorem circa diſpoſitiones ad pias cauſas, conferunt deducta *ſub tit. de legat. diſc. 12. 34. & 54. & ſub tit. de alienat. & contract. prohib. diſc. 32.*

Deciſio edita in caſu, de quo habetur *diſc. 14.* eſt impreſſa poſt Turr. *de pact. fut. ſucceſſ. diſc. 164.*

De contentis *in diſc. 20. & 21.* in materia Codicillorum videri poterunt deducta ſupra *ad diſc. 10.* Et an pia cauſa detrahat Trebellianicam contra aliam piam cauſam, habetur *ſub tit. de legitima, & detract. diſc. 34.*

ROMANA
LEGATI LOCORUM MONTIUM, PRO REVOLIIS, CUM ECCLESIA S. CAROLI IN CURSU.

Caſus deciſus per Rotam pro Revoliis.

De teſtamento ad pias cauſas ad formam text. in cap. *relatum*, de teſtam. an, & quando dicatur pati defectum voluntatis, vel potius ſolemnitatis, ubi teſtator explicavit ejus animum circa piam diſpoſitionem; ſed ſequutus non eſt alter actus perficiens ab eo deſideratus.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *In teſtamentis ad pias cauſas non requiruntur ſolemnitates juris poſitivi, ſed ſufficit probatio naturalis.*
4 *De probatione naturali, an adeſſet.*
5 *An attendatur defectus concernens imperfectionem voluntatis, refertur utraque opinio.*
6 *Quando procedat opinio volentium, ut favor piæ cauſæ ſuppleat etiam voluntatis defectum.*
7 *De eodem.*
8 *Qualis eſſet controverſiæ punctus.*
9 *De authoritatibus probantibus imperfectionem voluntatis.*
10 *De conſil. 119. Oldrad. ut ſit receptum.*
11 *Non eſt deferendum DD. ſe fundantibus in falſo præſuppoſito.*
12 *Expenduntur authoritates, de quibus n. 9.*
13 *Ac etiam deciſiones Rotæ, de quibus eodem n. 9.*
14 *Quando dicatur ſola præparatio, ac voluntas imperfecta.*
15 *Quare requiratur in teſtamentis, ut teſtes ſint rogati.*
16 *De eodem, de quo nu. 14. ſuper imperfectione.*
17 *Enarratur caſus, de quo agit Oldrad. d. conſ. 119.*
18 *Quomodo iſtæ quæſtiones decidi debeant, an voluntas ſit imperfecta, necnè.*

DISC. XIII.

Franciſcus, gravi morbo preſſus, amico ejus volunta- 1
tem communicavit, ut deſuper ſchedulam teſtamentaria extenderet, Notario deinde conſignanda clauſam, ac ſigillatam, juxta hodie magis frequentatam teſtandi formam, de qua *diſc. 1. & ſeqq.* Cùmque id ſequutum eſſet, atque amicus die ſequenti legere cæpiſſet dictam ſchedulam jam extenſam, infirmus morbo faſtiditus, mandaſſet id ad aliam horam, vel diem differri, quod ſequutum non eſt, ob ſuperventam mortem? De tempore autem quo infirmus ad aures communicabat ejus voluntatem amico, aliqui domeſtici, ſub cortina audierunt ferè omnes diſpoſitiones, inter quas continebatur legatum locorum 26. montium ad favorem Eccleſiæ S. Caroli in curſu; Hinc proinde iſtius Eccleſiæ Adminiſtratores, judicium inſtituerunt contra defuncti ex fratre nepotes legitimos hæredes, coram A.C. à quo 2
ſententiam favorabilem pro dicti legati aſſequutione reportarunt; Introducta verò per appellationem cauſa in Rota coram Priolo contrarium reſolutum fuit ſub die 7. Junii 1662. legatum ſcilicet non deberi, neque huc uſque cauſa ulteriorem progreſſum habuit.

In his autem diſputationibus, non dubitabatur per Scri-
bentes hincinde de concluſione, ut in diſpoſitis favore 3
Eccleſiæ, vel piæ cauſæ, nullæ deſiderentur ſolemnitates à jure poſitivo inductæ, ſed quod ſola probatio naturalis ſufficiat, juxtà decretalem *in cap. relatum, de teſtament.* cùm ſit principium abſolutum, *ut diſc. ſequ. & ſæpius.*

Minuſque dubitabatur, quin probationes quæ dabantur
ſuper ipſo facto, ad hujuſmodi naturalem probationem 4
ſufficerent, dum inducti erant plures teſtes, qui ſub cortina id audierant, ac etiam alii deponentes, quod quando ſchedulæ ſcriptor altera die rediit, atque infirmum interrogavit, an perſiſteret in propoſito diſponendi, prout ſibi communicaverat, reſponderit affirmativè, promptum quoque ſe præbendo ad audiendum ſchedulæ lecturam, quæ ut ſupra perfici non potuit, exhibita etiam per dictum amicum, tam ſcriptura præparatoria, quæ vulgò dicitur *abozzo*,

ko, in qua confidentarius adnotabat memoriæ cauſa, id quod teſtator dicebat, quàm alia nitida, quam exinde efformaverat.

5 Prout ſcribentes pro eadem Eccleſia actrice, admittebant hodie pariter certum, ac receptum principium, quod favor piæ cauſæ, ſupplet quidem omnes defectus ſolemnitatum, quas in ultimis voluntatibus induxit jus poſitivum, non autem defectum, vel imperfectionem voluntatis; Quoniam licèt Bart. *in l. in teſtam. ff. de fideicommiſſ. libert. per illum textum*, dicat ut teſtamentum quamvis in voluntate imperfectum, ſubſtineatur favore cauſæ piæ, eumque ſequantur Abb. *in cap. 1. num. 2. de ſucceſſ. ab inteſt.* Alex. *in l. hac conſultiſſima, §. ex imperfecto, Cod. de teſtament.* Aretin. *in §. ex eo inſtitut. quibus mod. teſtam. infirmen. numer.* 11. & Tiraquell. (qui alios refert) *de privileg. piæ cauſ. cap.* 7.

Contraria tamen opinio, omninò verior eſt, magiſque recepta, adeout ſcribentes in contrarium, (viri docti) id non controverterent, quoniam juri naturæ diſpenſari non poteſt, neque Eccleſia, quæ juſtitiæ, ac veritatis eſt cultrix, abſque domini certa voluntate, aliena bona obtinere debet, ut advertitur *diſc. proximè preced.* ac firmant Oldrad. *celebri conſil.* 119. quod reputatur in materia magiſtrale, Cuman. & Caſtrenſ. *in l. cum teſtamentum, ff. de teſtam.* Dec. *in cap. 1. de fid. inſtrum. num.* 42. Covarr. *in cap. relatum, num.* 9. Clar. *§. teſtamentum quæſt.* 7. Vivius *comm. opin.* 888. Surd. *deciſ.* 292. *num.* 11. latè Magdalen. *de num. teſtium, part. 2. cap. 5. numer. 1. & ſeqq.* Rub. *de teſtam. cap. 5. numer. 5. & ſeqq.* Rovit. *conſil. 41. lib. 2.* Capyc. Latr. *deciſ. 7. & cæteri communiter*; Atque hanc ſæpius firmavit Rota præſertim *deciſ. 576. numer. 3. part. 3. recent. deciſ. 108. num. 4. part. 7. & in hujus cauſæ deciſione*, ac etiam in Romana hæreditatis 4. Maji 1657. Meltio, & 24. Januarii 1661. Veroſpio quarum deciſionum caſus extenditur *diſcurſ. ſeq.* & in aliis.

Ideoque de hac opinione ampliùs dubitandum non eſt; Tum quia frequentiori calculo recepta; Tum etiam ob dictam nimium concludentem rationem; Ac etiam quia iidem Bart. & Abb. in hoc non ſunt conſtantes, dum primus *in l. ſi quis cum teſtamentum, ff. de teſtam.* Et alter *conſil. 105. lib. 2.* contrarium ſentire videntur.

Ac ulterius dictus ſenſus Bart. quem alii ſequuntur, cir-
6 ca Eccleſiæ, vel piæ cauſæ favorem, ſupplendi etiam defectum voluntatis, verè non videtur eſſe, ubi imperfectio circa ipſam diſpoſitionem piam accedat, ſed ubi imperfectio eſſet reſpectu integralitatis, ſive totius teſtamenti, ita tamen quod ea pia diſpoſitio, de qua ſit quæſtio, perfecta ſit, Puta quia teſtator, in actu teſtandi fecerit legatum pium jam abſolutum, ac perfectum, deindeque ad alias diverſas diſpoſitiones tranſitum faciendo, teſtamentum complere non potuerit, quia mors, vel morbi oppreſſio ſupervenerit; Iſtoque caſu, aliqui ſequentes ſenſum Bart. firmant validitatem, non quia privilegium piæ cauſæ ſuppleat imperfectionem voluntatis, ſed quia non dicatur adeſſe imperfectio circa ipſam jam completam diſpoſitionem, cui aliarum diſpoſitionum imperfectio præjudicare non debet, dum illa erat jam perfecta in genere ſuo.

Quidquid autem ſit de hac opinione, cujus contrarium etiam iſto caſu tenent Natta *in l. hac conſultiſſima, §. ex im-*
7 *perfecto, num.* 140. & alii per Magdalen. *d. c. 5. n. 7. in fin.* idque ex infraſcriptis fortè majorem probabilitatem habere videtur, dum uſque ad ultimum complementum diſpoſitio mutare poteſt, ea quæ jam diſpoſita ſunt, atque teſtamentum ab ultima linea perfectionem recipere dicitur, (quod tamen adhuc occaſio non præbuit formiter diſputare;) Opus non erat hanc inſpectionem aſſumere, dum imperfectio, vel reſpectivè perfectio circa voluntatem, erat in toto, unde propterea, vel totum erat perfectum, vel totum erat imperfectum circa voluntatem, quamvis quoad ſolemnitates intraret differentia.

Hinc proinde quæſtio reſtringebatur ad ſolam applicatio-
8 nem, an ſcilicet ex eo quod teſtator, prima vice determinatè dixerit amico, quod volebat relinquere dicta loca 26. huic Eccleſiæ, quodque die ſequenti dicto amico interroganti, an in eadem voluntate perſiſteret, affirmativè reſpondiſſet, quodque ſolum vocandus eſſet Notarius pro ſolemnizando actum, quod ob morbi impedimentum ſequi non potuit, ita diceretur adeſſe defectus potiùs ſolemnitatis quàm voluntatis.

In hoc autem puncto, ad quem cauſa reſtringebatur; Scri-
9 bentes pro Eccleſia actrice, præcipuum fundamentum conſtituebant in authoritate Mart. *voto 7. per tot.* Papon. *conſ.* 36. Ruin. *conſ. 1. n. 22. & ſeqq.* & Zunti *in conſil. pro uxore reaſſumpto* per Magdalen. *de n. teſt. dicta p. 2. cap. 5. n. 15.* & Rota apud Seraphin. *deciſ. 581. repetit. deciſ. 173. par. 2. diverſ.* & clarius in Romana teſtamenti coram Sacrato regiſtrat. apud Gratian. *diſcept.* 550. per quas authoritates, ac aliàs apud eas dicebant probari, quod imperfectio eſſet circa ſolemnitatem, non autem circa voluntatem, ideoque piæ cauſæ id obſtare non deberet.

Ego verò ſcribens pro inteſtatis heredibus reis conventis, 10
Advertebam imprimis ut nullatenus deferendum eſſet dictis authoritatibus, Martæ, & Papon. in eodem caſu ſcribentium, quoniam ipſi procedunt cum præſuppoſito opinionis reprobantis *conſil.* 119. Oldrad. atque in eo etiam caſu, cæteris relatis tenent adeſſe perfectionem voluntatis; Cùm igitur id præſuppoſitum ſit falſum, quoniam magis communis, ac recepta eſt abſque dubio dicta contraria opinio, cujus anteſignanus reputatur Oldrad. *dicto conſ.* 119. ut præ cæteris ſubſtinent Dec. *conſ. 159. & 488.* Vivius *dicta opin.* 888. Magdalen. *dicto cap. 5. num. 8. & ſeq.* Rovit. *dicto conſ. 41. lib. 2.* Capyc. Latr. *dicta deciſ. 7. & deciſ.* 140. Amat. *variar. cap.* 8. Rubeus *de teſtam. cap. 7. num. 224. & ſeqq.* apud quos cæteri, & Rot. *deciſ. 576. par. 2. rec. deciſ. 288. par. 9. &*
deciſ. 327. num. 12. part. 12. & ſæpè in aliis, in quibus proce- 11
ditur cum dicto *conſil.* Oldrad. tanquam recepto; Hinc proinde dictæ authoritates innixæ falſo præſuppoſito corruunt tanquam ex ceſſante fundamento, ut apud Cyriac. *controv. 50. num. 3. & ſeq.*

Preterea Papon. *d. conſ.* 36. Marta *voto* 8. ut ſupra agentes 12
de eodem caſu, in eo forſan ob ejus particulares circumſtantias benè loquuntur, quoniam teſtator Notario, & ſeptem teſtibus, in forma teſtamenti nuncupativi nuncupatione explicita, ore proprio, de capite in caput, omnia dictavit Notario ſcribenti coram teſtibus audientibus, ac videntibus; Quodque teſtatore dicente, quod aliud ſibi non occurreret, cùm Notarius ſe accingeret, juxta ſtylum, ad extendendum rogitum, & publicationem, ex improviſo ſupervenit mors ipſis preſentibus, unde propterea non improbabiliter dici poſſe videbatur, ut actus quoad teſtatorem eſſet jam completus, ipſaque voluntas perfectè, ac determinatè explicata in actu teſtandi tanquam in termino, non autem in via, ſeu præparatione, adeout imperfectio conſiſteret ex parte Notarii.

Idemque dici poſſe videtur de caſu, de quo agitur apud 13
Seraph. *d. deciſ. 581. aliàs deciſ. 173. par. 2. diverſ.* reaſſumpta per Magdalen. *d. c. 5. n.* 21. (ubi de Rotæ variatione conqueritur,) quoniam poſtquam teſtator jam integram ejus diſpoſitionem in ſcripturam redigi fecerat, vocatus fuit Notarius, quo interrogante teſtatorem in forma teſtandi coram teſtibus ad id rogatis, an ejus voluntas eſſet juxta contenta in ea ſcriptura, ipſoque affirmante, Notarius ſe accingebat ad ſolitum rogitum ex ſuperventa morte non ſequutum, ideoque imperfectio non fuit ex parte teſtatoris, ejuſque voluntatis jam completæ, ſed ex parte Notarii circa ſolemnitatem rogitus.

Ac etiam talis, vel ſimilis eſt caſus de quo agitur in dicta Romana teſtamenti coram Sacrato, apud Gratian. *d. diſcept.* 550. qui benè ad has diſtinctiones advertit.

Relinquendo igitur locum veritati circa dictos caſus, de quibus præmiſſæ authoritates agunt, (cùm ob diverſitatem ab illo controverſiæ, inhærendo commendabiliſſimo Curiæ ſtylo abhorrendi ſuperflua, opus non eſſet id examinare;) Certum eſſe dicebam, quod omninò ceſſaret applicatio; Expendendo ſiquidem diſtinctè actus, ac tempora.

Spectato primo actu, in quo teſtator, accerſito amico, in quo fidem habebat, cum præſuppoſito, quod loquere-
tur ſolus cum ſolo, ejus voluntatem communicavit, ad ef- 14
fectum, ut eam redigeret in ſcripturam, juxtà quam, claudendam, ac ſigillandam, habebat in animo occultè teſtandi, & hic actus abſque dubio, non continet niſi nudam velleitatem, futuræque diſpoſitionis præparationem; Dictique teſtes, qui ſub cortina dictum colloquium audierunt, turpitudinem allegabant, malèque geſtum contra intentionem teſtari volentis.

Ut enim alibi *hoc eod. tit.* advertitur lex in teſtibus deſide- 15
rat qualitatem, quod ſint rogati, non quia deſideretur formalis rogitus tanquam ſolemnitas, ſed ad excludendum ne verba caſualiter coram aliquibus dicta, diſpoſitionem inducant, & ſic quod teſtator ſciat loqui coram eis tanquam ſuæ voluntatis teſtibus, nullatenus verò ubi credit, cum uno tantùm confidentialiter, ac ſecretò loqui.

In ſecundo autem actu ſequuto die ſequenti, ad ſpecifi- 16
cationem aliquam deventum non eſt, ſed amico generaliter interroganti, an perſeveraret in eodem propoſito, reſpondit affirmativè, circa ipſam teſtandi voluntatem in genere, quia decedere nolebat inteſtatus; Nullatenus autem ad determinatam voluntatem, circa ſingulas diſpoſitiones devenit, dum volebat audire tenorem ſchedulæ extenſæ, mediante lectura jam cœpta, cujus terminationem ad aliam horam diſtulit; Igitur occaſione dictæ lecturæ voluntatem regulare volebat, & quid affirmare, ſeu corrigere, vel declarare deberet, neque prius dici poteſt, ut voluntas devenerit ad terminum.

Ideoque advertebam quod iſte caſus eſſet magis planus, longèque clarior illo, de quo agitur apud Oldrad. *dicto*
17 *conſil.* 119. Ibi enim, ipſo teſtatore dictante, quoniam clericus totam diſpoſitionem benè, ac ordinatè ſcripſerat, adeo ut actus naturaliter eſſet perfectus, atque dilatio ad diem ſequentem pro rogitu Notarii referri congruè poterat ad ſolemnitatem juxta alios enunciatos caſus, de quibus agunt Marta, & Papon. ac etiam Rota coram Seraphino, & Sacrato, ut ſupra; Unde propterea, ea difficultas, quæ non omninò improbabiliter cadere poſſet in dicto caſu Oldrad. vel ſimili, nullo pacto cadere poterat in præſenti, ob longè diverſas circumſtantias; Et conſequenter, ſi in eo, magis communis, & recepta opinio firmat imperfectionem voluntatis; Multò magis, ac extra dubium in hac facti ſpecie, ideoque meritò dictæ Eccleſiæ adminiſtratores acquieverunt.

Hinc proinde liquet, quod iſta quæſtio utpotè volunta-
18 tis, ſit potiùs facti quàm juris, prorſuſque erroneum eſt, cum doctrinis generalibus, vel deciſis occaſione diverſorum caſuum procedere, atque regulas generales ſtatuere, quoniam juxta ſæpiſſimè inſinuatam regulam generalem; quæ in hujuſmodi voluntatis quæſtionibus attendenda eſt, deciſio pendet ex ſingulorum caſuum individuis circumſtantiis, prudenti, benèque regulato arbitrio ponderandis, ad effectum inſpiciendi, an verè teſtator deveniret ad actum teſtandi, ejuſque voluntas redacta ſit ad terminum, vel adhuc eſſet in via, atque in terminis velleitatis, & præparationis, ut etiam dicendum eſt ubi agitur de ſchedula inter defuncti ſcripturas reperta, ut advertitur ſupra *diſc. 1. & infrà diſc. ſeq.*

ROMANA HÆREDITATIS DE MONTE NIGRO

PRO DUCE STEPHANO COLUMNA, CUM PP. SCHOLARUM PIARUM.

Caſus deciſus per Rotam pro PP.

An ſola ſchedula ſcripta, vel ſubſcripta per teſtatorem ſine teſtibus, atque inter ejus ſcripturas reperta, ſufficiat ad teſtamentum validum, ac perfectum favore Eccleſiæ, vel piæ cauſæ.

S U M M A R J U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *Quod etiam in teſtamento ad pias cauſas requirantur pernecesſè duo teſtes.*
4 *An Clerici, vel Religioſi Eccleſiæ legatariæ ſint in hoc idonei teſtes.*
5 *Reprobatur concluſio, de qua n. 3. & contrarium verius, ut ſola ſchedula ſufficiat.*
6 *De ratione cui innixa eſt diſpoſitio c.* Relatum, *de teſtam.*
7 *Quod ſchedula ſine teſtibus ſufficiat.*
8 *Idem de teſtamento Cardinalium in vim indulti.*
9 *De materia recognitionis ſchedulæ teſtamentariæ.*
10 *Quod defectus imperfectionis voluntatis attenditur etiam in pia cauſa.*
11 *Recenſetur caſus, in quo data etiam certa ſchedula, dubitatur de perfectione.*
12 *De eodem.*
13 *De argumentis imperfectionis.*
14 *Schedula ſine die & anno adhuc ſufficit, ſed quid operetur hic defectus.*
15 *De adminiculo perfectionis in hac facti ſpecie.*
16 *De ratione dubitandi, ut etiam in teſtamentis ad pias cauſas requirantur ſolemnitates à jure poſitivo inducta.*

D I S C. XIV.

1 Hieronymus de Monte Nigro Marigliano Marchio, prole carens, donationem quorundam bonorum, ac feudi fecit Pompeo Columnæ Principi Gallicani conjuncto, ſub variis reſervationibus, ac onere cujuſdam annuæ præſtationis ad vitam; Cùmque itinerando, morte violenta peremptus eſſet, atque in ejus fœmoralibus reperta fuiſſet ſchedula propria manu conſcripta, ſine tamen die, & anno, in qua hæredes inſtituebat PP. ſcholarum piarum; Hinc iſti coram A. C. nemine citato, prævia recognitione dictæ ſchedulæ per teſtes habentes notam manum, declarati fuerunt hæredes, atque aliqua bona hæreditaria, dicto Pompeo diſſimulante, nihilque opponente, obtinuerunt; Ad plures autem annos, ſequuta dicti Pompei morte, ſcripto hærede Stephano Columna Duce Baſſanellæ juxta ſeriem, de qua *ſub tit. de ſervit. ad mater. uſusfructus diſc.* 60. contra iſtum dicti hæredes judicium inſtituerunt coram A. C. pro reſiduo dictæ annuæ præſtationis, aliiſque prætenſionibus, ac juribus in donatione non cadentibus, obtentaque favorabili ſententia, & introdocta cauſa in Rota coram Taja; Cùm ex parte dicti hæredis rei conventi de duobus oppoſitum eſſet. Primò ſcilicet de legitimatione perſonæ, quodque in actoribus non juſtificaretur qualitas hæreditaria creditoris, cujus aliàs idem Pompeus erat legitimus ab inteſtato hæres; Et ſecundò circa incompetentiam
eorum, quæ petebantur; In hac ſecunda parte ferè in omni- 2
bus, vel pro majori parte pro reo in poſteriori deciſione reſponſum fuit, in prima verò circa qualitatem teſtate hæreditatis pro actoribus ſub die 7. Maji 1668. ita firmatur teſtamentum validum, ac perfectum.

Quatenus igitur pertinet ad hunc punctum teſtamenti, an ſcilicet illud validum, ac perfectum ex dicta privata ſchedula reſultaret, dum nullo teſte munita erat, ſtante, quod agebatur favore cauſæ piæ juxta terminos text. *in cap. relatum, de teſtam.* (dum alia inſpectio erat potiùs facti quàm
juris;) Ego ſcribens pro dicto Duce reo convento, more 3
Advocati ad cauſæ oportunitatem dicebam, quod attenta diſpoſitione dicti text. *in cap. relatum*, pernecesſè requireretur interventus ſaltem duorum teſtium, dum idem textus in divino oraculo principaliter ſe fundat, quod in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, ideoque ubi ad minus non adſint duo teſtes, nullum ſubeſſe videtur fundamentum, ob quod teſtamentum, vel alia ultima voluntas ſubſtineri debeat, cumulando in id authoritates in hac materia collectas per Magdalen. *de numer. teſt. part. 2. cap. 1. num.* 6. & Tiraquell. *ac add. de privileg. piæ cauſæ privil.* 1. qui cum hoc præſuppoſito procedunt, ut ſaltem duo teſtes adeſſe debeant.

Quinimò ut eſſe debeant integri, ac habiles ad conclu- 4
dendum perfectam probationem naturalem, adeout, licèt juxta generalem regulam, quam habemus in teſtibus de univerſitate, vel collegio, ut in iis, quæ non concernunt intereſſe ſingulorum, ſed illud omnium in univerſum, teſtificari valeant, ut teſtes ejuſdem Eccleſiæ, vel Monaſterii, ſeu loci pii legatarii admittantur, adhuc tamen, ob aliquam fidei diminutionem reſultantem ab intereſſe ſecundario, vel ſaltem ab illo affectionis, neque omnino integri, ac ſufficientes reputentur, quoties numerus, vel adminicula hujuſmodi exceptionem non ſuppleant; ac ſuſpicionem tollant, Mantic. *de conjectur. lib. 6. tit. 3. numer. 6. & 7.* Thor. in addit. ad Tiraquell. *de privil. piæ cauſæ, in princ. & cap.* 1. Sperell. *deciſ. 81. numer. 5. & numer. 46. & ſeqq.* ubi declaratur.

Reflectendo tamen ad veritatem, agnoſcebam quod ve-
ra eſſet concluſio, quæ deducebatur per ſcribentes in con- 5
trarium, atque in cauſæ deciſione admiſſa fuit, ut quoties non obſtet defectus recognitionis, vel alter imperfectionis voluntatis, ut infrà, ſola ſchedula, diſponentis manuſcripta, vel ſubſcripta, ſufficiat, abſque neceſſitate teſtium, quos dicta Decretalis enunciat demonſtrativè, non autem taxativè, ita indicando, quod ſufficiat ſola probatio naturalis abſque alia juris poſitivi ſolemnitate; Hoc enim poſito, intrat quæcumque alia ſpecies probationis naturalis, quæ illi factæ per duos teſtes æquipolleat, eo modo quo in contractibus, aliiſque actibus inter vivos habemus, ut dici valeant obligatorii.

Iſtaque eſt vera ratio, cui dicta Decretalis innititur, ut 6
benè, ac magiſtraliter Abb. *conſil. 32. nu. 2. & ſeqq. part.* 2. Unde propterea leguleica ineptia eſt eorum, qui hoc dicunt piæ cauſæ privilegium, cum cujus terminis materiam regulant; Dicitur enim ita abuſivè, & per quemdam modum loquendi, utpotè quid ſpeciale diverſificans à generalitate diſpoſitionis juris poſitivi, cui Eccleſia, & pia cauſa ſubjectionem non patitur, quia ſola naturali veritate contenta eſt, ut etiam advertitur *ſub tit. de fideicom. diſc.* 108.

Quod

7 Quod etiam comprobatur per diſpoſitionem juris poſitivi *in Auth. quod ſine, C. de teſtam. & in corpore unde ſumitur*, ut inter liberos, etiam ſine teſtibus ſola ſchedula ſufficiat, de quo infra *diſc.* 26. ac etiam *diſc.* 75. in teſtamento militari *deciſ.* 150. *part.* 12. *recent. & infra diſc.* 28. ideoque validè procedit argumentum juxta magis communem opinionem, quam perpetuò tenuit Rota; Et apud Achill. *deciſ.* 1. *de teſtam.* paſſim recepta, ut apud Cavaler. *deciſ.* 553. apud Buratt. *deciſ.* 475. *utrobique num.* 1. *& ſeqq.* latè *deciſ.* 166. *part.* 8. *recent. dicta deciſ.* 150. *numer.* 23. *part.* 12. *deciſ.* 289. *num.* 1. *&* 2. *part.* 10. & ſepiùs, cùm ſit concluſio recepta.

8 Et comprobant quoque ea quæ habentur ſupra *diſc.* 6. in materia teſtamenti Cardinalium in vim indulti expreſsè concedentis hanc facultatem, etiam per ſolam ſchedulam ſine teſtibus, quoniam ſi teſtes eſſent neceſſarii de jure naturæ, & ad probationem naturalem, non poſſet Princeps concedere indultum in contrarium.

9 Quare dubitandi ratio cadebat; Primò in defectu recognitionis, circa quam deducebam eadem, quæ habentur ſupra *dicto diſc.* 6. ſuper Curiæ ſtylo, cùm eadem, quæ ibi habentur, rectè his terminis congruant, ex rationis identitate, dum utroque caſu cum ſolis terminis juris naturalis procedendum eſt; Cum ea tamen differentia ibidem ponderata, majoris, vel minoris ſuſpicionis, ob quam major, vel reſpectivè minor probatio neceſſaria eſt, ut ibi, ſed ſtantibus aliis adminiculis, ita ſufficiens videbatur.

10 Et ſecundò in altero defectu naturalis imperfectionis voluntatis, quam certum eſt per favorem piæ cauſæ non ſuppleri, cùm ſit defectus naturæ, ut habetur *diſc. præced.* ac etiam *dicto diſc.* 6. Stant enim benè ſimul, ut ſchedula ſit indubitatè vera, & ſcripta per teſtatorem, & tamen quod contineat minutam, ſeu præparationem futuri teſtamenti, adeout voluntas remaneat adhuc indeterminata in terminis velleitatis, & tanquam in via, non autem in termino, ut locis proximè citatis advertitur, ac benè præ cæteris probatur ex ibi allegatis deciſionibus in Romana hæreditatis 4. Maji 1657. coram Meltio, & 14. Januarii 1661. coram Ve-
11 roſpio, quarum caſus eſt, quòd mortuo ex improviſo quodam copiſta Pedemontano, qui ex nimia parſimonia notabilem aſſem cumulaverat, in eo ſcripturarum ſcrinio, quod vulgò pulpitum apud copiſtas, ac Notarios dicitur, repertæ fuerunt duæ ſchedulæ, una continens aliquas cancellationes, & apoſtillas, abſque anno, vel die, & abſque ſubſcriptione, & altera ejuſdem tenoris nitida, & ſubſcripta, cum loco, anno, menſe, & die, omnibuſque illis verbis, & clauſulis, quę de ſtylo in teſtamentis per Notarios adjici ſolent; Atque extra omnem controverſiam erat, quòd utraque conſcripta eſſet à defuncto, cujus character ratione dictæ profeſſionis copiſtæ, erat notorius; Et tamen fuit nimiùm dubitatum de validitate, ac perfectione, quamvis ibi inſtituta eſſet Eccleſia, vel Societas Nationalis S. Sudarii, ex dicta unica dubitandi ratione, quod incertum eſſet, an dictæ ſchedulæ ibi retinerentur tanquam præparationes teſtamenti ordinandi, quando deliberaret devenire ad actum teſtandi, ſtante notorio communi uſu faciendi hujuſmodi minutas, ac præparationes, eaſque pluries conſiderandi, ac immutandi priuſquam deveniatur ad actum, adeout cauſa pluries propoſita, ob votorum ſciſſuram, ac difficultates capi non potuerit reſolutio, demum capta coram Meltio, ob extrinſecas veras, vel ſaltim adminiculativas probationes deductas ex quibuſdam confeſſionibus, aliiſque adminiculis; Et tamen in alia inſtantia coram Veroſpio receſſum fuit, ob contraria adminicula denotantia, quòd teſtator adhùc non erat omninò determinatus, dum aliquas fecit adnotationes pro ejus futuro teſtamento.

Idemque comprobat caſus, de quo agitur *diſc.* 1. ſuper teſtamento Cardinalis Caraffæ, quoniam antequam ingrede-
12 retur conclave, jam ordinaverat ejus diſpoſitionem cum conſimili geminata ſchedula, una præparante, & altera præparata ac nitida, & tamen ipſemet declaravit, quod adhuc teſtatus non erat, ut ibi; Igitur ſtant benè ſimul, ut ſchedula tota ſit conſcripta manu teſtatoris, & tamen ſtet in terminis præparationis, atque ad actum teſtandi deventum non ſit, juxta alium caſum, de quo *diſc. ſeq.*

Applicando autem ad hanc facti ſpeciem; Non negabam
13 dictas regulas, cum quibus in hujus cauſæ deciſione proceditur, ſed negabam applicationem ex hoc defectu, quoniam non ex eo, quòd inter ſcripturas teſtatoris hujuſmodi ſchedula reperiatur, ergo concludens, ac perfecta probatio reſultat, ut ita teſtatus fuerit, niſi alia hujuſmodi voluntatis adminicula concurrant; Multò verò magis, ubi ipſa ſchedula ex ſui facie imperfectionem redoleat, utpotè ſine loco, anno, menſe, & die, ac ſine aliis partibus adjici ſolitis, ut etiam advertitur *diſc. ſeq.*

Non quòd iſta ſint neceſſaria, ut in ſpecie quòd non curetur an careat die, & conſule apud Cavaler. *d. deciſ.* 553.
num. 1. Sed capiendo has imperfectiones tanquam ſigna, ſeu 14
argumenta, quòd non eſſet ſcriptura perfecta, & determinata, ſed potiùs præparatio, ſeu minuta, cujus qualitas ex his argui ſolet, ut alibi advertitur.

Unicum verò adminiculum deductum fuit ab obſervantia
ex eo deſumpta, quòd ipſe Pompeus legitimus ab inteſtato 15
hæres, rectè ſciens, quòd dicti Religioſi curaverant ſe declarari hæredes, atque aliqua bona, & jura obtinuerant, notabili annorum ſpatio ſupervivens non reclamaverit; Iſtud autem adminiculum ſolum in ſtricta juris cenſura non videbatur ſufficiens, quoniam id ſequi fortè potuit, quia idem ſucceſſor opinando hæreditatem eſſe tenuem, ac damnoſam, vel intricatam, non habuerit animum adeundi, ideoque id non curaverit, non tamen exinde referri poteſt ad obſervantiam comprobativam voluntatis defuncti, quam percutere deberent actus, ex quibus illa deducitur; Aliæ verò facti circumſtantiæ potius humano, quàm legali modo id comprobare videbantur, & potiſſimùm quædam ſolutio facta ab eodem Principe; unde propterea ut dictum eſt, humano potiùs, quàm legali jure attento, reſolutio non improbabilis viſa eſt.

In hoc autem propoſito piarum diſpoſitionum, ut negle- 16
ctis juris poſitivi ſolemnitatibus, ſola naturali probatione contentæ ſint, ex eo quòd Eccleſia, vel pia cauſa non teneatur dictæ legis poſitivæ ſubjectionem pati, ſed juxta dictum Evangelicum oraculum regulari, de quo *in d. c. relatum*; In diſcurſiva potiùs Academica, quàm forenſi dubitandi ratione, aliàs ponderabam, quòd cùm veriùs ſit ut facultas teſtandi, non jure naturæ, vel gentium, ſed ex legis poſitivæ benignitate competat, cùm potiùs naturæ adverſari videatur, ut qui jam annihilatus eſt, atque non dominus, adjiciat legem bonis pro tempore, quo ſua non ſunt, ut advertitur *ſub tit. de fideicomm. diſc.* 141. *ubi concordantes*; Hinc proinde, eadem lex poſitiva, quæ hanc facultatem ex ejus benignitate conceſſit, prohibendam non venit adjicere certam formam, ſub qua, & non aliàs talem poteſtatem concedat, quòdque propterea illa attendi debeat tanquam qualitas habilitativa, ſeu conditio ſub qua, & non aliàs dicta facultas attributa eſt; Unde propterea non ſpectatur perſona cum qua ſit diſpoſitio, an ſubjaceat legi necne, ſed ſpectatur perſona facientis, & tanquam conditio, ſeu qualitas habilitativa ad obtinendum id, quod aliàs lex concedere noluit, juxta ea, quæ ponderantur *ſub tit. de feudis, diſc.* 54. ac etiam *ſub tit. de dote, diſc.* 22. 103. *&* 143. *cum ſimilibus*; Verùm ut dictum eſt, remanent hodie hujuſmodi quæſtiones, ac ponderationes academicæ, vel ſcholaſticæ, ad ingenia exercenda, cùm in foro id paſſim receptum ſit; Verùm in diſcurſiva quoque ratione eſt ſubſtentabile ſi reflectatur ad legalem hiſtoriam, de qua *ſub tit. de ſervit. diſc.* 1. & advertitur etiam alibi *hoc tit.* quòd ſcilicet quando lex civilis inventa, uſuque recepta eſt, jam inoleviſſet uſus teſtandi enunciatus *in d. c. relatum, & cap. cum eſſes*.

ANCONITANA TESTAMENTI
AD PETITIONEM
SIMEONIS DE PAITINIS

Reſponſum pro veritate.

De eadem materia cap. *relatum*; An ſcilicet ſchedula teſtamentaria, ex ſui facie imperfecta, manu teſtatoris conſcripta, per Religioſum poſt mortem teſtatoris apud Notarium exhibita; cum aſſertione, quòd ſibi à defuncto tradita ſit cuſtodienda, ut exequutioni tanquam teſtamentum demandaretur, valeat, ac probet quoad pias diſpoſitiones, necne.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *In teſtamentis ad pias cauſas quæcumque probatio naturalis ſufficit.*
3 *Sed requiritur probatio voluntatis perfectæ redactæ ad actum teſtandi.*

4 *Quando ſcriptura dicatur continere voluntatem perfectam, vel ne.*
5 *De plurium imperfectarum conjunctione ad faciendam perfectam.*

D I S C. XV.

1 POſt obitum Joannis, quidam ſacerdos Regularis, coram Notario, & teſtibus, exhibuit ſchedulam, quam cum juramento aſſeruit, ſcripturam propria manu dicti Joannis, atque ab eodem ſibi traditam fuiſſe, ut quatenus aliud teſtamentum non conficeret, illam exhiberet alicui Notario, quoniam intendebat cum ea diſpoſitione decedere, obſervanda per hæredem pro ſalute ejus animæ.

Schedula prædicta non habebat diem, menſem, annum, & locum, minùſque hæredis inſtitutionem, neque ſubſcriptionem, ſeu alia verba, quæ finem, ſeu perfectionem actum denotarent, atque in ejus prooemio dicebatur, quod teſtator ita vellet ordinare ejus ultimam voluntatem per viam teſtamenti clauſi, & ſigillati, ejuſque manum ſubſcripti, deindeque ſubſequebantur electio ſepulturæ, necnon octo legata, duo ſcilicet prophana, & ſex pia, in quorum duobus, geminatam facit mentionem hæredis, per quem illa impleri debuiſſent; Iſtaque facit ſerie ſic ſtante pro veritate conſultus fui ex parte hæredis ab inteſtato venientis, an hujuſmodi ſchedula vim haberet validæ, ac perfectæ diſpoſitionis, adeout, eum obligaret ad implementum necne.

Reſpondi quod in omni ferè materia, præſertim verò in iſta, ob ſcribentium, ac ingeniorum nimiam varietatem, hodie de certa, & determinata varietate amplius reſponderi non poteſt, ideoque mea eſt reſpondendi conſuetudo de proprio judicio, juxta quod, probabilius pro imperfectione, ac invaliditate dictæ diſpoſitionis reſponderi debere viſum eſt, quamvis non abſque aliqua dubitatione, ad quam dirimendam, conſului aliquam concordiam cum Fabrica S. Petri, ſeu cum piis legatariis.

2 Quamvis enim, rejecta opinione volentium, ut duo teſtes, de quibus *in cap. relatum, il ſecondo, extrà de teſtam.* de neceſſitate requiſiti ſint etenim in teſtamentis ad pias cauſas, adeout videatur ſpecies formæ per dictum canonem inductæ, omninò recepta ſit contraria, ut ſcilicet duos teſtes in canone ſtent demonſtrativè, non autem præciſè, ac taxativè, pro demonſtratione ſcilicet ſimplicis probationis naturalis, qua ſolùm, diſpoſita ad pias cauſas contendantur, rejecta quacumque ſolemnitate juris poſitivi, cui pia cauſa non ſubjaceat, proindeque etiam ſola ſchedula propria manu conſcripta; adinſtar teſtamenti patris inter libros ſufficiat, ſeu quæcumque alia ſpecies probationis naturalis, juxta *dec.* 1. Achil. *de teſtam.* Buratt. *dec.* 475. Cavaler. *dec.* 553. *deciſ.* 74. *part.* 2. *diverſ. deciſ.* 289. *part.* 10. *recent.* & in aliis, de quibus *diſc. præced.*

Attamen, ut habetur *duobus diſc. proximè præcedentibus*,
3 *& in aliis*, id procedit, dummodo probatio naturalis concludat perfectionem voluntatis deductæ ad terminum, ſeu actum teſtandi, cùm frequenter concurrat quædam concludens probatio voluntatis morientes, quæ tamen adhuc ambulet, atque ſit in via, non autem in termino.

Ubi enim accedit imperfectio voluntatis adhuc ambulantis, ac indeterminatæ, tunc favor piæ cauſæ non eſt operativus, cùm hic ſuppleat quamcumque imperfectionem ſolemnitatis à jure poſitivo reſultantis, non autem illam voluntatis, utpote juris naturæ, juxta celebre *conſ.* 119. *Oldrad.* magis communiter receptum, ex deductis *eod. diſc. præced.* quæ in præſenti etiam Reſponſo, cum authoritatum, ac deciſionum conſueta cumulatione, ad ſatisfaciendum ignaro vulgo deducebantur; Ideoque dicebam, quòd hujuſmodi quæſtiones non ſunt ampliùs juris, ſed ſolùm facti, & applicationis, an ſcilicet, & quando probationes concludant talem perfectionem, necne.

Quando igitur ſcriptura (cum præſupoſito, quòd benè juſtificatum eſſet, quòd ſit conſcripta manu teſtatoris) ex ſui facie contineret voluntatem completam, ac perfectam,
4 quia nempè haberet inſtitutionem hæredis, annum, menſem, diem, ac locum, aliaque verba in teſtamentis jam completis apponi ſolita, qualis erat caſus, de quo in Romana hæreditatis 4. Maji 1657. coram Meltio, & 14. Januarii 1661. coram Veroſpio *eod. diſc. præced. mentionato*, adeout quæſtio reduceretur ad ſolam dubietatem, an talis ſcriptura confecta eſſet tanquam præparatio futurę voluntatis, adhuc ad teſtandi actum non deventæ, vel è contra, (& ad quem punctum in dicta cauſa quæſtio reſtrigebatur;) Tunc crediſiſſem pro validitate, ac perfectione potiùs reſponderi debuiſſe, quoniam, ſtante perfectionis præſumptione reſultante ex ipſa perfectione ſcripturæ redactæ ad formam voluntatis completæ, ſi ſufficiunt præſumptiones, & adminicula talem præſumptionem coadjuvantia, multò magis ſufficere debuiſſet poſitiva jurata atteſtatio ſacerdotis, & Religioſi, nullum proprium, vel propriæ Eccleſiæ intereſſe habentis circa ibi diſpoſita.

Verùm difficultatem mihi inferebat omnimoda dictæ ſcripturæ imperfectio, ex ejus facie ad oculum comprobata, Tum quia carebat inſtitutione hæredis, quem geminatè diſponens præſupponebat; Tum etiam quia non habebat annum, menſem, diem, locum, & alia verba complementum actus denotantia; Et quod magis eſt, in ejuſdem ſcripturæ prooemio, diſponens expreſsè declarabat ſuæ voluntatis eſſe illud teſtamentum ordinandi propria manu ſubſcriptum, clauſum, & ſigillatum, quæ omnia deficiebant. Ex iſta enim prooemiali declaratione videbamur eſſe in terminis claris, ac fortioribus illis, de quibus apud Oldrad. *d. conſ.* 119. ejuſque ſequaces deductos *d. diſc. præced.*

Poſita enim imperfectione ſcripturæ, adeout illa ſola, & de per ſe nullam ſpeciem probationis (nec etiam ſemiplenę) conſtitueret perfectæ voluntatis, tota probatio reſtringeretur ad atteſtationem dicti Religioſi, tunc huic, tanquam unico nullatenus deferendum eſſe dicebam, cùm ad hunc effectum, juxta ejuſdem canonis diſpoſitionem innixam oraculo, ut in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, requirantur ad minus duo teſtes, quos aliunde non adminiculatos, veriùs eſt, ac magis communiter receptum debere eſſe integros, ut *eod. diſc. præced.*

Neque videbatur dari debere locum illi coujunctioni ſemiplenarum imperfectarum probationum, quæ in civilibus regulariter admittitur, quoniam quicquid ſit, an id procedat in ultimis voluntatibus probandis, adhuc neque dictæ ſemiplenæ aderant, quæ conjungi poſſent, cùm ad hunc effectum requiratur, ut quælibet earum ſit in ſuo genere valida, & perfecta, quod dici poſſe non videbatur, quoniam ubi
etiam dictus Religioſus tanquam unicus teſtis integer ſuffi- 5
ceret ad unam ſemiplenam, attamen deficiebat altera, quæ ex dicta ſcriptura ex ſui facie omninò imperfecta deduci non poterat, dum illa potius apta erat deſtruere dicti teſtis diſpoſitionem, vel eam debilitare, utpote contrariam declarationi diſponentis teſtandi in occulto, mediante illius ſcripturæ ſubſcriptione, clauſura, & ſigillatione, quorum nihil geſtum fuerat, ideoque dicta ſcriptura potius probabat contrarium, quod ſcilicet teſtator adhuc non deveniſſet ad actum teſtandi, dum ipſe expreſsè declaraverat quòd ſub ea forma teſtari volebat; Atque pro meo judicio iſta videbatur veritas; quæ clarior remaneret, ubi (ut requirenti inſinuabam,) facti circumſtantiæ inducerent adverſus dictum Religioſum, aliquam ſuſpicionem, quæ ejus fidem minueret; Cùm enim hominum frequens ſit conſuetudo (prudentiæ motivis innixa) dum benè valent, eorum ultimas voluntates præparandi, ut cum maturiori judicio, ac reflexione demum ad actum teſtandi eas reducerent, quod cum reiteratis præparationibus fieri ſolet, Ita ſequeretur quòd in libito eſſet cujuslibet famuli, vel confidentiarii, aut alterius caſualiter tales præparationes inter defuncti ſcripturas reperientis, cum ſola ejus aſſertione ordinare teſtamentum; Ideoque talis aſſertio conſiderabilis videtur, quando ipſa ſcriptura habet faciem, ac præſumptionem perfectionis, vel ſaltim ei non reſiſtat diverſa facies, ſeu præſumptio imperfectionis, ut in hac facti ſpecie reſiſtere videbatur, & conſequenter firmum remanet; ut ſit quæſtio facti pro iſtius qualitate diverſimodè decidenda.

VITERBIEN. HÆREDITATIS
P R O
EXEQUUTORIBUS TESTAMENTARIIS,
C U M
RELIGIONE HIEROSOLIMITANA.

Caſus diſputatus coram Theſaurario, & reſolutus, ut infrà.

De eadem materia imperfectionis voluntatis, an, & quando obſtet piæ cauſæ: Et quando hæc imperfectio adeſſe dicatur, & quid in concurſu alterius Eccleſiæ, vel piæ cauſæ.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *De valida diſpoſitione ad pias cauſas abſque ſolemnitatibus.*
4 *Omiſſio inſtitutionis hæredis non obſtat teſtamento ad pias cauſas.*
5 *Quod iſtud privilegium piæ cauſæ non procedat contra aliam cauſam piam.*
6 *Contrarium verius.*
7 *De rationibus quibus innititur concluſio, de qua n. 3.*
8 *Iſtæ rationes procedunt activè, & paſſivè in pia cauſa.*
9 *Quod favor piæ cauſæ non ſuppleat imperfectionem voluntatis.*
10 *Teſtamentum eſt individuum, ac perficitur in ultimo actu, ſeu momento.*
11 *De concluſione ut donatio facta Eccleſiæ, vel piæ cauſæ abſenti valeat, quando procedat.*
12 *Quando voluntas dicatur perfecta, vel imperfecta, & quomodo iſtæ quæſtiones deduci debeant.*

D I S C. XVI.

1 POſtquam Terentius, teſtamentum in publica forma condiderat, in quo hæredem inſtituerat Eccleſiam majorem Oppidi Centum cellarum, ad effectum, ut in Collegiatam erigeretur, M. Magiſtro S. Hieroſolymitanę Religionis apocam privatam tranſmiſit, continentem promiſſionem donandi ejus bona, ad effectum erigendi in eodem oppido Commendam ſub diverſis capitulis, ac pactis; Cumque antequam apoca prædicta à M. Magiſtro, ejuſque Conſilio acceptaretur, quinimò ad notitiam devenerit, præfatus Terentius gravi morbo preſſus eſſet; Hinc accerſito Notario ad effectum condendi teſtamentum, per quemdam familiarem eidem Notario tradita fuit legenda coram teſtatore, ac teſtibus, alia conſimilis ſchedula, cujus lectura ſequuta, ipſo teſtatore, nutu, ac ſignis annuente, dum Notarius eum interrogabat, qualiſnam eſſet hæres ab eo inſtituendus, expiravit; Quare inter exequutores in primo teſtamento deputatos pro erectione Eccleſiæ Collegiatæ, ac miniſtros dictæ Religionis, prætendentes, quòd hic ſecundus actus importaret favore piæ cauſæ perfectam, ac ſufficientem teſtamentariam diſpoſitionem dicti prioris teſtamenti revocatoriam, orta eſt lis coram Theſaurario, qua indeciſa pendente, Pontifex ex ejus poteſtatis plenitudine, dictam hæreditatem aliis piis uſibus applicavit, unde propterea diſputationes hinc inde deſuper habitæ, inanes remanſerunt; Poſtmodum verò eadem Religio, obtenta commiſſione cauſæ in Rota, mutatoque conſilio, atque aſſumendo punctum donationis inter vivos reſultantis ex dicta apoca Melitam tranſmiſſa, ea tantùm informante, in aliorum contumaciam, favorabilem reſolutionem obtinuit ſub die 15. Maji 1656. coram Albergato, eaque habetur impreſſa *deciſ.* 173. *part.* 12. *recent.* cum ſubſequuto effectu.

2 Quidquid autem ſit de iſto puncto donationis, dictæque deciſionis ſubſiſtentia, (cùm in cauſa non ſcripſerim;) Quatenus pertinet ad punctum diſputatum coram Theſaurario, in quo ſcripſi, pro Exequutoribus, qui primum teſtamentum (de cujus validitate, ac perfectione non dubitabatur) ſubſtinere curabant; An ſcilicet dictus ſecundus actus in ultimo vitæ momento geſtus, importaret validam, ac perfectam diſpoſitionem, dicti prioris teſtamenti infirmativam.

Scribentes pro Religione procedebant cum terminis generalibus text. *in cap. relatum, de teſtam.* de quibus in præ- 3 cedentibus, quòd ſcilicet piæ diſpoſitiones non ſubjacent ſolemnitatibus à jure poſitivo inductis in teſtamentis, aliiſque ultimis voluntatibus, quoniam ſufficit probatio naturalis, per quam conſtet de voluntate diſponentis, quæ ſolum attendenda eſt.

Nil obſtante, quòd deventum non eſſet ad inſtitutionem hæredis, quoniam dicebant (& benè,) quod licèt teſtamentum abſque hæredis inſtitutione corruat, attamen id 4 provenit ex diſpoſitione, vel ſubtilitate juris poſitivi, ideoque intrat eadem ratio, ob quam aliæ ſolemnitates non requiruntur, quoniam eodem jure poſitivo quoque attento, admittitur hujuſmodi ſubtilitatum remiſſio in teſtamento militari, in quo ob militarem ſimplicitatem magis attenditur naturalis veritas; Ac etiam in paganis, (datis aliis ſolemnitatibus) admittitur diſpoſitio obliqua, per quam venientes ab inteſtato cenſentur per fideicommiſſum gravati reſtituere ei, cujus favore diſpoſitum ſit, cum effectu detractionis trebellianicæ, vel falcidiæ, quæ in piè diſpoſitis non intrat; Et conſequenter nulla eſt directæ, vel obliquæ diſpoſitionis differentia in piis diſpoſitionibus, juxta deducta *diſc.* 108. *ſub tit. de fideic. & ſub tit. de detractionibus, ac alibi*; Ac etiam quia ipſomet jure poſitivo attento, ubi hæres datus non eſt, inſtitutus cenſetur ille, cum quo, ſub legati nomine diſpoſitum eſt, ad text. *in l. 2. Cod. de hæred. inſtit. cum concord. dec. 49. num. 24. & ſeqq. part.* 12. *recent. & ſub tit. de fideicomm. diſc.* 109. & 110.

E converſo autem; Alii pro hac exequutorum parte ſcribentes, cum præſuppoſito quòd diſpoſitio dictæ Decretalis *in cap. relatum* contineret privilegium, nimiùm inſiſtebant in regula conquaſſationis privilegiorum inter æquè privile- 5 giatos, de qua generaliter Barboſ. *axiom.* 190. *num.* 1. ubi plura colligit, & Trentacinqu. *lib. 1. variar. tit. de reſcript. & privil. reſol.* 1.

Et in ſpecie deducebant authoritates collectas per Gratian. *diſcept.* 605. *num.* 9. & præſertim Ruin. *conſ.* 9. *lib.* 2. *n.* 16. ut primum teſtamentum ſolemne ad pias cauſas non revocetur per ſecundum pariter ad pias cauſas minùs ſolemne; Ponderando firmata per Rot. *in Romana hæreditatis* 13. Juanuarii, & 4. Julii 1659. coram Albergato, ut primum teſtamentum perfectum non revocetur per ſecundum imperfectum, in quo deficiat hæredis inſtitutio, quamvis iſtud dicatur fieri pro anima, quæ deciſiones ſunt in caſu, de quo *infrà diſc.* 50.

Mihi verò iſtud motivum non placebat; Tum attentis authoritatibus, dum in contrarium eſt magis communis, & recepta, juxta *conſ.* Paul. de Caſtr. 327. *lib.* 1. cùm aliis re- 6 latis per Gratian. *d. cap.* 605. *num.* 11. *& ſeqq.* Gall. *de exception. tit. 1. part. 3. except. 4. num.* 40. & 41. Rubeus *de teſtament. cap.* 11. *num.* 682. *cum ſequent. præſertim nu.* 687. apud quos cæteri.

Tum fortiùs attenta ratione (quæ apud me magis ſtringere ſolet) in præcedentibus inſinuata, quòd ſcilicet verè 7 iſtud non eſt piæ cauſæ privilegium ab ipſa lege poſitiva pro limitatione regulæ generalis conceſſum, (ut plerique cum ſolita ſimplicitate credunt;) ſed provenit à ratione exemptionis, quàm Eccleſia, vel pia cauſa obtinet à jure poſitivo, utpote cum ſolo juræ naturæ, ſeu naturali veritate regulanda.

Ac etiam ob alteram rationem ceſſantis ſuſpicionis, quam aliàs lex habet in defunctorum voluntatibus in prophanis; ob fraudes deſuper committi ſolitas, quæ ab ipſis diſponentibus detegi non poſſunt, ſicuti in illis inter vivos; Hæc autem ſuſpicio regulariter ceſſat in piis diſpoſitionibus ob ceſſationem privati intereſſe; Et his addi poteſt altera ponderatio deducta ex hiſtoria legati, de qua infra *in Tudertina, diſc. 25. ad materiam cap. cum eſſes.*

Iſtæ rationes æquè procedunt activè, ac paſſivè; Quemadmodum enim Eccleſia ex ſola naturali perfecta volunta- 8 te, hæreditatem, ſeu legata obtinet adverſus teſtamentarium, ſeu legitimum ſucceſſorem, ita è converſo, ceſſante ratione quæ urget in extraneo, non poteſt eadem, ubi agnoſcat ex naturali veritate, quòd defuncti voluntas ſit in contrarium, iſtius bona obtinere, ut advertitur etiam ſupra *diſc.* 12.

Quare mihi videbatur inſiſtendum potius eſſe in altero motivo imperfectionis voluntatis, de quo actum eſt ſupra *diſc. 13. ex conſ.* 119. Oldrad. cùm ibi deductis, cùm iſte 9 caſus majorem redoleat imperfectionem, quàm in dict. *conſil.* Oldrad. dum teſtator adhuc erat in actu teſtandi, ejuſque voluntas incompleta, quando mors ſupervenit, Iſto enim caſu, etiam aliqui ex ſequacibus alterius opinionis contra Oldrad. adhuc admittunt adeſſe imperfectionem, ut apud Gratian. *diſcept.* 550. *n. 9. cum ſeqq. & in Romana de Ruſconibus coram Sacrato*, regiſtrata apud Gratian. *ibid.*

Teſtamentum enim eſt quid individuum, cujus qui par- 10 tem fecit, nihil feciſſe videtur, eò quia dum eſt in actu diſponendi, addere, ac minuere, ſeu adimere, ac variare poteſt, ex relatis per Magdalen. *part. 1. cap. 16. num. 261. & ſeq. & part. 2. cap. 5. nu.* 7. Fortiùs verò ubi imperfectio, ſeu incompleta voluntas eſt circa eamdemmet piam diſpoſitionem, de qua agatur, quia nempè tunc circa eam diſponens morabatur, cùm tunc non intret altera quæſtio, quæ habet opiniones hinc inde relatas per Magdalen. *d. cap 5. n.* 7. & ſupra *d. diſc.* 13. an ſcilicet piæ diſpoſitioni jam completæ, ac perfectæ, obſtet imperfectio aliarum diverſarum, quas teſtator facere intendebat.

Verùm reflectendo ad veritatem, mihi videbatur, quòd Religionis prætenſio probabilis eſſet, non quidem ex ſolo moti-

11 motivo donationis inter vivos deſumptæ ex ſchedula Melitam tranſmiſſa, cum quo, ut ſuprà Rota inhærendo deductis ex parte ejuſdem Religionis, proceſſit in *d. deciſ.* 173. *part.* 12. *recent.* quoniam in effectu illa ſchedula non continebat puram, ac ſimplicem donationem gratuitam, in qua intraret Eccleſiæ, vel piæ cauſæ privilegium in eadem deciſione deductum, ac pluries in ſua materia *ſub tit. de Donat.* ut etiam facta abſenti valeat, quia fieri dicitur Deo, qui eſt ubique præſens, atque noſtra bona opera accepat, dum dicta ſchedula continebat ſolùm indicationem voluntatis donandi, ad certum tamen effectum erectionis Commendæ ſub diverſis legibus exorbitantibus à conſueta natura aliarum Commendarum, adeout incertum eſſet, an Religio acceptare deberet, necne, & ex quo eventu pendebat determinatio oblatoris, ideoque concluſiones in ead. *deciſ.* deductæ in ſuis caſibus veræ, ad hanc facti ſpeciem non benè applicari videbantur.

12 Probabilius verò pro meo ſenſu erat in hac inſtantia ex parte Religionis aſſumptum in vim dicti ultimi actus ultimæ voluntatis geſti in mortis articulo, qui perfectionem redolere videbatur, illum uniendo cum dicto antecedenti inter vivos, ex quo donatio deſumpta fuit, quòd ſcilicet non verſaremur in caſu, in quo teſtatore de novo, atque ex integro diſponente, incertum eſſet, an quando diſpoſitiones facturus eſſet præcedentium correctivas, vel moderativas, dum voluntas adhuc erat in via; Siquidem ſchedula Melitam tranſmiſſa, continebat integram, ac perfectam diſpoſitionem de univerſa hæreditate; Ideoque ubi teſtator ſe agnoſcendo morti proximum, conſimilem ſchedulam in forma teſtandi tradi fecit Notario, quo legente, ipſe coram teſtibus ad id vocatis approbavit, ita reſultavit ratificatio, ſeu confirmatio dictæ prioris voluntatis, quòd ſcilicet, id quod in animo habebat facere ex conventione inter vivos, ſtante actus imperfectione per illam viam, voluit, ut perfectionem, ac effectum ſortiretur per ultimam voluntatem, Non urgente dicta contraria præſumptione, quòd teſtator alia in animo habere potuerit, quonia ex dictis facti circumſtantiis conſtabat, quòd dum loqui non poterat, atque in extremis laborabat, aliud facere noluerit, niſi dictam præparatam, ſeu ordinatam voluntatem perficere; Ideoque interrogatio Notarii ſuper hæredis inſtitutione, utpotè prodita ex ejus credulitate, quòd præcisè neceſſaria eſſet ad teſtamenti validitatem, ac perfectionem, præjudicare apta non eſſet perfectioni voluntatis ipſius teſtatoris, juxta diſtinctionem, de qua ſupra *d. diſc.* 13. Atque hinc firmum remanet, quòd iſtæ ſint quæſtiones facti potiùs, quàm juris, uniformem regulam generalem non recipientes, ſed pro ſingulorum caſuum circumſtantiis decidendæ.

ROSSANEN. HÆREDITATIS, PRO ORATORIO SANCTI JOANNIS, ET JO: DE MARTINO, CUM SIGISMINA CERINTENEA.

Caſus diſputatur coram A. C. reſolutus pro Oratorio, & Joanne.

An dicatur diſpoſitio ad pias cauſas ubi contineat opus pium, pro cujus implemento, pingue emolumentum temporale adimplentibus aſſignatum ſit; Et quando teſtamentum minùs ſolemne pium, ſuffragetur aliis prophanis diſpoſitionibus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *De diſtinctione inter Eccleſias, & bona Eccleſiaſtica, & loca pia.*
3 *An emolumentum miſſarum exceſſivum, in exceſſu dicatur quid prophanum.*
4 *Declaratur cum diſtinctione.*
5 *Quando mixtura cauſæ piæ ſalvet teſtamentum etiam in prophanis.*
6 *De diſpoſitione* cap. cùm eſſes.
7 *An habeat locum in Regno Neapolitano remiſſivè.*

D I S C. XVII.

1 CUm Fabritius hæredes inſtituiſſet filios naſcituros ex Dominico nepote, quem in ſolo uſufructu inſtituit, dictoque Dominico moriente ſine filiis, mandaſſet ex ejus hęreditate erigi Oratorium, cum duabus cappellaniis, quibus onus miſſarum, cum ſatis pingui emolumento pro qualibet miſſa injunctum fuit, relicto earum jurepatronatus, ac pręſentandi Joanni agnato, dictique Dominici mors in pupillari ętate ſequuta eſſet; Hinc inter Oratorium, & Joannem ex una, & Sigiſminam Dominici matrem, ac inteſtatam hęredem, duę ortę ſunt controverſię: Primò ſuper caducatione cujuſdam ſubſtitutionis, & de hoc habetur *ſub tit. de fideicomm. diſc.* 121. Et ſecundò ſuper teſtamenti invaliditate, eò quòd quatuor ex ſeptem teſtibus eſſent impuberes, introductaque cauſa coram A. C. pro Oratorio, & Jo: judicatum fuit ſuper teſtamenti validitate.

Scribens autem pro Oratorio, & Joanne, dicebam, quòd ubi etiam dicta pręſuppoſita impubertas, (ex hac parte in facto negata) ſubſiſteret, adhuc tamen id nil inteſtatæ ſucceditrici prodeſſet, quoniam ubi etiam dicti quatuor teſtes impuberes, quinimò, & alii demendi eſſent, adhuc ſupererat probatio naturalis, quæ ſufficiebat, dum agebatur de diſpoſitione ad pias cauſas, ad text. *in cap. relatum de teſtam.*

Scribentes in contrarium id non negabant, ſed dicebant id ſubſiſtere in concernentibus commodum Oratorii, atque ratam congruam pro celebratione miſſarum, ſecùs autem quoad concernentia Juriſpatronatus, ac præſentandi, aliaque commoda relicta Joanni agnato, ejuſque ſucceſſoribus, necnon illud majus commodum, quod poſſeſſores cappellaniarum aſſequuturi eſſent ad rationem ſcutorum octo pro qualibet miſſa, quoniam detracta ea rata, quæ ex uſu regionis congrua eſt pro mercede Sacerdotis miſſam celebrantis, cætera omnia eſſent merè temporalia, quibus tale privilegium non competit.

Iſta replicatio pariter non relevabat dictam ręam conventam, quoniam cùm Oratorium vocatum eſſet ad univerſam hæreditatem titulo univerſali inſtitutionis, hinc proinde, ubi etiam reliqua diſpoſita favore privatorum, & ad cauſas prophanas non ſubſiſterent, adhuc totum, ex beneficio juris non decreſcendi, cedere deberet commodo ipſius Oratorii, cùm hæreditas univerſalis trahat ad ſe totum id, quod ex legatis, aliiſque particularibus diſpoſitionibus non ſortitur effectum, ne detur moriens pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus, ideoque cùm commodum totum redundaret in cauſam piam, replicatio nullius momenti remanebat.

Cæterum (cum ſenſu etiam veritatis) dicebam, ut reliqua, ut ſuprà diſpoſita ad favorem Joannis, & aliorum quoque ſubſiſterent, quoniam ut advertitur *ſub tit. de Alienat. & contract. diſc.* 1. & in aliis, ibi allegatis; Aliud eſt, bona acquiri Eccleſiæ, adeòut fiant Eccleſiaſtica, & cadentia *ſub* 2 *Extrav. Ambitioſæ*, ſive cum regulis beneficialibus, juribuſque ſpiritualibus regulanda; Aliud verò, ut opus dicatur pium, atque diſpoſitio ad pias cauſas; Stant enim benè ſimul, ut bona non ſit Eccleſiaſtica, neque beneficium Eccleſiaſticum, tamen quòd opus ſit pium, ut ita diſtinguendo habetur *d. diſc. 1. de Alienat.* Atque ut habetur *diſc. ſeq.* non attenditur, an temporale emolumentum excedat id quod præſtari ſolet ratione celebrationis miſſæ, vel alterius operis ſpiritualis, quoniam ejus inęſtimabilis eſt valor, 3 adeout quidquid detur, nunquam dici valeat excedens, quoniam ſpectanda eſt cauſa, ob quam diſpoſitio ordinatur, non autem effectus inde reſultans, ut ad literam probat text. *in cap. requiſiti de teſtam.* ibi, *quia hoc ille, qui donat pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis probatur offerre.* Et benè comprobatur ex deductis *deciſ.* 150. *part.* 12. *recent. num.* 27. edita in caſu, de quo infrà *diſc.* 28. ſuper conſimili mixtura acceſſoria juriſpatronatus favore agnatorum.

Quod tamen, (reflectendo ad veritatem,) procedere dicebam, niſi ſuſpicio probabilis urgeret, quòd pietas eſſet 4 color quæſitus ad fraudandam legem, & colorandam falſitatem, quia nempè volens aliena bona captare, cum duobus teſtibus malè inductis, vel cum alia minùs ſolemni probatione, in qua longè difficilior eſſet machinatio, aliquod leve onus miſſarum, vel alterius pii operis ſtudioſè ſibi adjiceret, ut ita detracto eo modico ſumptu, qui ad illud pium opus explendum neceſſarius eſt, reliquum ad proprium prophanum commodum ſibi appropriet; Ideoque id intelligendum eſt ſano modo, ac juxta ſingulorum caſuum particulares circumſtantias.

In hac verò facti ſpecie, iſta ſuſpicio cadere non videbatur; Tum quia incertæ erant perſonæ, ad quorum commodum dictæ cappellaniæ cedere debuerint; Tum etiam quia actus erat ſolemniſſimus, coram Notario, ac Judice, & ſeptem teſtibus; Defectus autem proveniebat ex juris civilis

lis ſubtilitate, circa aliquorum teſtium impubertatem, quæ inſpectis regulis generalibus probationis indifferentis, non præbet in teſtibus defectum omnimodum, quoties ſunt proximi pubertati, juxta diſtinctionem, de qua apud Farin. *de teſtibus, quæſt.* 58. cum aliis infrà *in Romana teſtamenti de Monaldenſibus*, *diſc.* 26.

Præterea in ea quæſtione, an mixtura cauſæ piæ ſubſtineat etiam diſpoſita ad cauſas prophanas, quidquid varient DD.
5 ex congeſtis per Riccium in add. ad Tiraquell. *de privil. piæ cauſæ, cap.* 80. & Rubeum *de teſtam, ad pias cauſas, cap.* 54. *& ſequent.* præſertim *cap.* 59. Ea videtur vera diſtinctio, quòd Aut agitur de prophano, ſeu temporali emolumento, quod acceſſoriè, & conſecutivè pio operi admixtum ſit, ut erat in præſenti caſu, & in altero, de quo *diſc. ſequent.* & tunc verior ſit affirmativa, niſi vehemens urgeat ſuſpicio, quòd opus pium ſit affectatè poſitum tanquam color quæſitus, ut ſuprà.

Aut agitur de diſpoſitionibus omninò ſeparatis, ac inter
6 ſe non connexis, quarum aliquæ ſint ad cauſas pias, aliæ verò ad prophanas, & tunc, Aut pia diſpoſitio eſt jure legati peculiaris, quod etiam ab inteſtato ſubſtineri poteſt, adeout in efficacia aliarum diſpoſitionum prophanarum cedat commodo venientium ab inteſtato, & tali caſu mixtura non ſuffragetur; Aut eſt jure inſtitutionis univerſalis, unde prædictæ invaliditatis emolumentum eſſet ipſius cauſæ piæ, & ſecus, idque ratione æquitatis, & juſtitiæ naturalis, quoniam ſicuti Eccleſia, & pia cauſa, ſpretis juris poſitivi ſolemnitatibus, ad ſui favorem vult, ut attendatur æquitas, ſeu veritas naturalis, ita juſtum, ac æquum, & rationabile eſt, ut id cum aliis ſervet, neque præter diſponentis voluntatem bona retineat, ex iis quæ habentur *ſupra*, *diſc.* 12. *& diſc. præcedent.* & alibi, & hic erat caſus, dum pia cauſa erat ſcripta hæres univerſalis.

Dicebam verò hæc ad ſuperabundantiam, & quatenus
7 etiam ſubſiſteret, ut hæc voluntas in prophanis diſpoſitionibus eſſet ex jure poſitivo imperfecta; Verùm id ceſſabat dupliciter; Primò quia in actu intervenerant novem perſonæ, ſcilicet Notarius, Judex ad contractus, & ſeptem teſtes, unde quando etiam demendi eſſent quatuor teſtes impuberes, adhuc ſupererant quinque ſufficientes ad legata, vel ſimplicem ultimam voluntatem, cujus jure actus ob clauſulas ſalutares ſubſtineri poterat, etiam inſpecto rigore juris civilis.

Et ſecundò quia dicti quinque habiles, imò, & quatuor, abundabant ad ſubſtinendum teſtamentum etiam ad cauſas prophanas, juxta diſpoſitionem text. *in cap. cum eſſes, de teſtam.* præſertim quia dicti teſtes idonei, ſuppleti erant à dictis aliis quatuor, qui ſaltem alios benè adminiculabantur, ex iis, quæ habentur infrà *in Tudertina diſc.* 25. & in aliis; Quia verò cauſæ neceſſitas non exigebat, hinc proinde, juxta laudabilem Curiæ ſtylum, aſſumpta non fuit quæſtio, an in Regno Neapolitano in prophanis admittenda ſit hæc teſtandi forma, necne, & de quo agunt Magdal. *de num. teſt. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 20. *cum ſeqq.* Rubeus *de teſtam. cap.* 33. *nu.* 69. apud quos concordantes.

COMEN. LEGATORUM,
PRO JO: BAPTISTA, ET ALIIS,
CUM FRANCISCO DE TURRICELLIS.

Caſus deciſus per Rotam pro Jo: Baptiſta, & Conſortibus.

De eadem materia, an ſcilicet diſpoſita ad pias cauſas in minùs ſolemni teſtamento, ſuffragentur circa prophanum exceſſivum emolumentum, quod pio operi ad favorem conjunctorum aſſignatum eſt: Et an ſolemnitates præſcriptæ in teſtamento cæci, requirantur in diſpoſitionibus ad pias cauſas.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *De ſolemnitatibus in teſtamento cæcorum, an requirantur pro forma præciſa, vel ſufficiat æquipollens.*
4 *Quòd dictæ ſolemnitates non procedant in diſpoſitionibus ad pias cauſas, & quid inter liberos.*
5 *Cappellaniæ erectæ ſine authoritate Ordinarii ſunt laicales.*
6 *An legatum factum cum aſſertione pietatis conſanguineo ſit pium.*
7 *Declaratur concluſio, de qua num.* 4.
8 *Emolumentum quod præſtatur pro ſacrificio Miſſæ, vel alio opere ſpirituali, eſt acceſſorium, & dicitur etiam pium.*
9 *Non poteſt una, & eadem diſpoſitio eſſe eodem tempore valida, & invalida, & quando ſecus.*

DISC. XVIII.

CAtharina Turricella, luminibus orbata, in teſtamen- 1
to condito non ſervata forma, quæ in teſtamentis cæcorum præſcripta eſt, per text. *in l. hac conſultiſſima, C. qui teſtam. fac. poſſ.* inter cætera reliquit ſcuta 10500. pro cappellania obtinenda per conſanguineos pro tempore, cum onere ſex Miſſarum quolibet menſe, deputato per ipſam teſtatricem Jo: Baptiſta primo cappellano; Cùmque Franciſcus filius, & hæres, ob teſtamenti nullitatem à dictæ formæ defectu reſultantem, legata ſolvere recuſaret; Hinc introducta cauſa coram A. C. prodiit ſententia abſolutoria à legatis prophanis, condemnatoria verò dicti legati pro cap-
pellania, tanquam pii; Devolutaque per appellationem cau- 2
ſa in Rota coram Albergato ſub diebus 11. Decembr. 1651. & 26. Februarii 1652. pro dicti legati ſolutione, approbando judicatum, prodierunt reſolutiones, quibus hæres acquievit.

In diſputationibus igitur habitis, coram A. C. coram quo ſcripſi pro omnibus legatariis, actum fuit de validitate, vel
invaliditate omnium legatorum, atque deciſio pendebat à 3
puncto, an ſolemnitates præſcriptæ *in dicta l. conſultiſſima*, percuterent formam præciſam, quæ adimpleri non poſſet, per æquipollens, vel potiùs iſtud ſufficeret; Iſta enim ſecunda parte poſita reſultat, ut conſtito de actus ſinceritate, unde ceſſet ea ſuſpicio, ob quam ſolemnitates inductæ ſunt, diſpoſita etiam ad cauſas prophanas valeant, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Hond. *conſ.* 58. *num.* 18. *lib.* 2. Menoch. *l.* 4. *præſ.* 6. *n.* 2. Michalor. *de cæco, muto, & ſurdo, cap.* 6. *num.* 28. Burgos de Pax *ad l.* 3. *Tauri*, *nu.* 1298. ubi ex *nu.* 1293. plenè agit de hac materia teſtamenti cæcorum, de qua agitur etiam infrà, *diſc.* 33.

Quatenus autem pertinet ad punctum diſputatum in Rota, ſuper dicto legato facto in cauſam d. cappellaniæ, re-
ſtricta fuit diſputatio ad ejus qualitatem, an ſcilicet il- 4
lud dicendum eſſet pium, vel prophanum, Poſito enim, quòd eſſet pium, idem ſcribentes pro hærede, admittebant diſpoſitionis validitatem, ad terminos text. *in cap. relatum, de teſtam.* quoniam ex eadem ratione in præcedentibus pluries inſinuata, ut pia cauſa juris civilis ſolemnitatibus non ſubjaceat, ſed ſolùm attendatur imperfectio voluntatis, valida eſt diſpoſitio etiam cæci, ut in his terminis ſpecialibus, cæteris relatis Tiraq. & Adden. *de privileg. piæ cauſæ, cap.* 10. Vaſquez *illuſtr. contr. cap.* 103. *num.* 15. Magdalen. *de num. teſt. part.* 2. *cap.* 4. *numer.* 54. *& ſeq.* Mant. *de conject. lib.* 6. *tit.* 3. *nu.* 21. Eugen. *conſ.* 63. *lib.* 2. Add. ad Comitul. *dec.* 155. *in fin.* Et quid inter liberos Giovagnon. *conſ.* 5. *cum ſeqq. l.* 2. Seraph. *deciſ.* 966. cum aliis per Add. ad Comitul. *ubi ſupra*.

Inſiſtebant tamen in eo, quòd cùm hujuſmodi cappella- 5
nia erecta non eſſet cum authoritatibus Ordinarii, dici non poterat beneficium Eccleſiaſticum, ſed res merè temporali, adeo ut etiam laici, & infantes, aliiſque Eccleſiaſticorum beneficiorum incapaces eam obtinere poſſent, juxta *deciſ.* 125. *&* 151. Peniæ, Burat. *dec.* 1. *nu.* 7. *& ſeq.* & habetur pluries in ſua materia *ſub tit. de Benef.*

Quòdque ubi etiam pro emolumento proportionato celebrationi Miſſarum dici poſſet diſpoſitio ad pias cauſas, non tamen dicenda eſſet talis, quoad exceſſum cedere de-
bentem ad commodum conſanguineorum, cum quibus po- 6
tiùs ex cauſa prophana ſanguinis, diſpoſitum cenſetur juxta deducta apud Franch. *deciſ.* 565. Cavaler. *deciſ.* 212. *&* 377. cum aliis per Rotam in Romana hæreditatis 1. Aprilis 1658. & 16. Junii 1659. coram Albergato, quæ prodierunt in caſu, de quo infrà, *diſc.* 50. ubi principaliter agitur de validitate teſtamenti minoris ad favorem curatoris, incidenter verò de hoc puncto, an id quod dicitur relinqui carnaliter, vel ſpiritualiter conjuncto ſub expreſſione charitatis, vel pro amore Dei, dicatur legatum pium, necne, & habetur etiam *diſc. ſeq.*

His tamen non obſtantibus; Scribens pro legatariis (etiam in ſenſu veritatis,) contrarium credebam probabilius, ideoque reſolutiones, juſtæ ac probabiles viſæ fue-
runt; Quatenùs enim pertinet ad primum fundamentum, 7

ut ob ceſſantem formalem erectionem, cum authoritate Ordinarii, iſta cappellania decidenda eſſet mere prophana; Id continet æquivocum clarum, quoniam aliud eſt agere, an beneficium ſit verè Eccleſiaſticum ad effectum, ut cadat ſub regulis beneficialibus, ad quem effectum diſcretivè hujuſmodi cappellaniæ dicuntur laicales, ut in dicta ſua materia *ſub tit. de Beneficiis*; Aliud verò, an diſpoſitio ſit pia, vel prophana; Quoniam ut advertitur *diſc. præced.* ac etiam *ſub tit. de Alien. & Contract. diſc.* 1. Stant benè ſimul, opus eſſe pium, & tamen non eſſe Eccleſiaſticum ad alios effectus, ideoque non eſt bona conſequentia, non eſt Eccleſiaſticum, ergo non eſt pium, ſed prophanum.

8 Quo verò ad alterum motivum; Dicebam idem, de quo *diſc. præced.* quod ſcilicet ſacrificium Miſſæ eſt inæſtimabile, atque quodcumque magnum temporale emolumentum, quod ſacerdoti celebranti detur, ſemper eſt modicum, & conſequutivum, ideoque ad regulandam diſpoſitionem, attendendum eſt ipſum pium opus in ea principaliter demandatum, non autem temporale emolumentum acceſſorium, & conſequutivum; Ac etiam quia implicat, ut una & eadem individua diſpoſitio, diverſo jure cenſeri valeat, eodemque tempore ſit valida, & invalida contra
9 principium, ſuper quo plura colligit Barboſ. *axiom.* 135. *nu.* 7. Niſi, (*diſc. præced.* advertitur) facti circumſtantiæ diverſimodè ſuadeant, quia nempè privatus, cum fraudis ſuſpicione captare velit pingue emolumentum ex ultima voluntate imperfecta, minuſque ſolemni, adjiciendo pro colore aliquod modicum pium onus celebrationis miſſarum, vel ſimile, quod cum modico incomodo per alium expleri poteſt, tunc enim incumbet ſolum hæredi faciendi celebrare miſſas, vel aliud opus à moriente volitum adimplendi; Hæc autem ſuſpicio in præſenti omnino ceſſabat ex facti qualitate.

ROMANA LEGATORUM,
PRO CLERIA TORSELLINA,
CUM
SOCIETATE SANCTISSIMÆ TRINITATIS PEREGRINORUM.

Caſus diſputatus coram Prælato deputato per Protectorem, & reſolutus pro Cleria.

An legatum relictum conſanguineo, cum aſſertione, quod fieret ex charitate, dicatur pium, adeout debeatur ex minus ſolemni diſpoſitione: Et quid ubi Eccleſia, vel pia cauſa eſt heres univerſalis, an teneatur ad legata prophana relicta in teſtamento minus ſolemni; Et in incidenter, an ſecundum legatum cenſeatur cumulativum, vel ademptivum cum primo.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *An ſecundum legatum cenſeatur cumulativum, vel ademptivum remiſſivè.*
3 *Legatum factum conſanguineo eſt prophanum, etiamſi dicatur fieri ex pietate.*
4 *Verbum* charitas *quid ſignificet.*
5 *De diſtinctione duplicis cauſæ piæ.*
6 *De interpretatione dicti verbi, de quo n.* 4.
7 *De tractantibus quæſtionem, de qua n.* 3.
8 *Et quando propriè dicatur diſpoſitio prophana, vel pia.*
9 *Eleemoſyna eſt danda potius conjunctis, quàm extraneis, & quod ſecus facientes malè agunt.*
10 *De circumſtantiis ob quas in legatario intret ratio pietatis.*
11 *Quod iſta ſit quæſtio facti ex iſtius qualitate decidenda.*
12 *An, & quando teſtamentum ad pias cauſas ſuffragetur etiam quoad prophanas diſpoſitiones.*
13 *Attenditur bona fides, ac ſinceritas actus.*
14 *De circumſtantiis attendendis pro bona, vel mala fide regulanda.*

DISC. XIX.

1 CAmillus Pignanellus, qui juxta frequentem humanam ſtultitiam, à Salamone exageratam, cum magna parſimonia, propriæ animæ nil concedendo, magnum aſſem comparaverat, teſtamentum, & primos codicillos fecit, quos confeſſario tradidit exhibendos poſt ejus mortem, iſtaque ſequuta, alii poſteriores codicilli à ſe ſcripti, & ſubſcripti, ac ſigillis muniti, in proprio ſcrinio reperti ſunt; Quibus omnibus publicatis, compertum eſt, quod hæredem inſtituebat in teſtamento Societatem Sanctiſſimæ Trinitatis peregrinorum, & convaleſcentium, in primis autem codicillis, inter alia legata relinquebat Cleriæ conſobrinæ ex charitate ſcuta bis mille, in poſtremis verò relinquebat eidem ex eadem cauſa charitatis, ſcuta mille, ea conditione adjecta, ut hoc legatum relictum cenſeretur pro omni, & toto eo, quod ab ejus hæreditate prætendere poſſet; Hinc proinde orta eſt controverſia inter hæredem, & legatariam coram Judice per dictæ ſocietatis Protectorem deputato, qui ad legatariæ favorem pro utriuſque legati aſſequutione pronunciavit, idemque puto, quod geſtum ſit per judicem appellationis, unde propterea Societas acquievit.

In diſputationibus autem, coram uno, vel altero Judice habitis, (in quibus pro legataria ſcribebam,) duo erant controverſiæ puncti; Primò ſcilicet ſuper dictorum legatorum debito in genere, cum Societas hæres utrumque negaret, ex eo quod codicilli in quibus continebantur, eſſent informes, ac non haberent ſolemnitates, quæ in prophanis diſpoſitionibus neceſſariæ ſunt; Et ſecundo, poſito quod dicti codicilli eſſent validi, & obligatorii, an deberetur utrumque legatum, vel potiùs ſecundum ſcutorum mille tantum, & ſic an iſtud eſſet ademptivum, vel cumulativum primi.

De hoc ſecundo habetur actum in ſua particulari mate- 2
ria *ſub tit. de Legatis*, ubi pluries agitur, an & quando ſecundum legatum ad favorem ejuſdem perſonæ, ſit cumulativum, vel ademptivum.

Quatenùs vero pertinet ad primum, ille in duas inſpectiones ſubdiſtinguebatur; Primò ſcilicet, an iſta legata dicenda eſſent pia, adeout in eis, non obſtaret defectus ſolemnitatum, ſed intrat diſpoſitio text. *in cap. relatum, de teſtamentis*; Et ſecundò, an poſito quod jure prophanæ diſpoſitionis regulanda eſſent, adhuc tamen illa ſolvi deberent per hæredem, quæ eſt cauſa pia, cum qua ſolemnitates juris poſitivi non attenduntur, unde propterea diſpoſitio dicti text. *in cap. relatum*, tam activè, quàm paſſivè, locum habere deberet.

Quoad primum; Scribentes pro hærede deducebant
eamdem concluſionem inſinuatam *diſc. præced.* cum ibi al- 3
legatis, ad probandum quod ubi agitur de diſpoſitione facta ad favorem ſanguine conjuncti, illa potius referenda ſit ad cauſam naturalem conjunctionis ſanguinis, quàm ad aliam pietatis, ideoque, non pia, ſed prophana diſpoſitio cenſenda ſit, quamvis amore Dei, ſeu pro ſalute animæ, fieri dicatur.

Clarius verò in hac facti ſpecie, in qua, dicta pietatis, vel religionis cauſa non exprimitur erga Deum, vel ani-
mam propriam, ſed adhibetur ſolùm terminus, ſeu voca- 4
bulum *charitatis*, quod eſt æquivocum, & aptum convenire etiam cauſæ naturali, cum verbum *charitas* congrue-
re etiam valeat dilectioni humanæ, quæ erga conjunctos, 5
vel amicos, ac benevolos habeatur; Ideoque duplex piæ cauſæ ſpecies in jure conſideratur; Una quæ reſpicit amorem Dei, ac ſalutem animæ; Et altera, quæ dicitur pia legaliter, non autem ſpiritualiter ad certos effectus, non autem ad iſtum, ut exemplificari ſolet in legato libertatis, ex deductis *dec.* 74. *num.* 10. *& ſeq. & nu.* 21. *cum ſeq. part.* 2. *diverſ.* ubi concord.

Quod benè comprobari dicebant ex eo, quod in aliquibus
legatis factis amicis, & famulis non indigentibus, etiam de 6
ſummis notabilibus, idem charitatis terminus, ſeu vocabulum adhibetur, unde propterea conſtat quod eſſet conſuetudo loquendi teſtatoris, ita explicandi amorem, ac benevolentiam ſub hoc vocabulo charitatis.

His tamen non obſtantibus, contrarium dicebam pro-
babilius (etiam in ſenſu veritatis per Judicem quoque 7
agnitæ;) In hac etenim quæſtione in qua noſtri majores ſe involviſſe videntur, ut patet ex relatis per Magdalen. *num. teſt. part.* 2. *cap.* 2. *numer.* 37. *cum ſeq.* Surd. *de alim. tit.* 8. *privil.* 1. Franch. *deciſ.* 565. ubi Adden. Marcian. jun. *reſp.* 3. *part.* 1. Rub. *de teſtam. cap.* 73. apud quos cæteri; Vera, & germana diſtinctio videtur, quod: Aut nulla legandi cauſa expreſſa eſt, ſed ex legatarii paupertate cadere valeat dubitatio, an magis ex motivo ſanguinis, quàm ex illa pietatis, legatum factum ſit, & tunc in dubio, potiùs cauſæ naturali ſanguinis, quàm alteri pietatis, diſpoſitio referri debeat.

Aut expreſſum eſt motivum pietatis, Illud autem qualita-
ti legatarii incongruum ſit, quia nempe ſit benè proviſus, 8